SEMINARIE HAAREN
THEOLOGICUM
V.C 554

~~Doc A 71~~

BIBLIOTHEEK
SEMINARIE
HAAREN

Groot Seminarie Haaren

Etage	Afd	Kast	Plank
2			

THOMAE HEMERKEN A KEMPIS
CANONICI REGVLARIS ORDINIS S. AVGVSTINI

OPERA OMNIA

VOLVMINIBVS SEPTEM EDIDIT ADDITOQVE
VOLVMINE DE VITA ET SCRIPTIS EIVS DISPVTAVIT

MICHAEL IOSEPHVS POHL

VOLVMEN QVARTVM

TRACTATVVM ASCETICORVM PARTEM EXTREMAM
COMPLECTENS

RELIQVI IX TRACTATVLI ASCETICI CVM CANTICIS ET EPISTVLIS

CVM ADPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBVRGENSIS

FRIBVRGI BRISIGAVORVM
SVMPTIBVS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MDCCCCXVIII
ARGENTORATI BEROLINI CAROLIRVHAE MONACHII VINDOBONAE

THOMAE HEMERKEN A KEMPIS

CANONICI REGVLARIS ORDINIS S. AVGVSTINI

HORTVLVS ROSARVM
VALLIS LILIORVM
CONSOLATIO PAVPERVM
EPITAPHIVM MONACHORVM
VITA BONI MONACHI
MANVALE PARVVLORVM
DOCTRINALE IVVENVM
HOSPITALE PAVPERVM
CANTICA
DE SOLITVDINE ET SILENTIO
EPISTVLAE

ADIECTIS EPILEGOMENIS ADNOTATIONE CRITICA
INDICIBVS TABVLIS PHOTOGRAPHICIS

AD CODICVM MANV SCRIPTORVM EDITIONVMQVE
VETVSTISSIMARVM FIDEM EDIDIT

MICHAEL IOSEPHVS POHL

FRIBVRGI BRISIGAVORVM
SVMPTIBVS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MDCCCCXVIII
ARGENTORATI BEROLINI CAROLIRVHAE MONACHII VINDOBONAE

A. G. 14

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae die 27 Februarii 1918

✠ Thomas, Archiepps

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis, Friburgi Brisigavorum

ARGVMENTVM HVIVS VOLVMINIS.

pag.

I. Hortulus rosarum 1
II. Vallis liliorum 51
III. Consolatio pauperum 135
IIII. Epitaphium monachorum 141
V. Vita boni monachi 153
VI. Manuale parvulorum 161
VII. Doctrinale iuvenum 179
VIII. Hospitale pauperum 201
IX. Cantica 241
X. De solitudine et silentio 399
XI. Epistulae 477

Epilegomena 485

Adnotatio critica 586

Loci Scripturae Sacrae 684

Corrigenda et addenda 690

Index tabularum photographicarum 692

HORTVLVS ROSARVM

INCIPIVNT CAPITVLA SEQVENTIS LIBELLI.

De bona societate quaerenda et mala cavenda . . . . . Cap. I.
De fuga saeculi et laqueis diaboli Cap. II.
De vera sapientia quaerenda apud Deum . Cap. III.
De pugna contra propria vitia . . . . . Cap. IIII.
De devotionis gratia acquirenda . . . . . Cap. V.
De auditione et lectione divini sermonis . . Cap. VI.
De divina consolatione in tribulatione . . Cap. VII.
De gaudio bonae conscientiae in Spiritu sancto Cap. VIII.
De bonis moribus humilis fratris . . . . Cap. IX.
De instabilitate humani cordis . . . . . Cap. X.
De fiducia in Deo habenda tempore angustiae Cap. XI.
De virtute orationis et utilitate sacrae lectionis Cap. XII.
De laude caritatis et fructibus eius . . . Cap. XIII.
De vigili cura et labore contra temptationes Cap. XIIII.
De fraterno onere invicem portando . . . Cap. XV.
De amore Christi et odio mundi . . . . Cap. XVI.
De imitatione sanctissimae vitae Domini nostri Iesu Christi . . . . . Cap. XVII.
De aeterna laude Dei . . . . . Cap. XVIII.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT HORTVLVS ROSARVM IN VALLE LACRIMARVM.

DE BONA SOCIETATE QVAERENDA ET MALA CAVENDA.

CAPITVLVM I.

Cum sancto sanctus eris: et cum perverso perverteris.

Attende diligenter, frater amande in Christo: ne seducaris a sociis malivolis dissolutis et mendosis. Iunge te fratri virtuoso disciplinato et erudito: a quo audias semper verbum bonum consolatorium et imitatione dignum. Sicut enim carbo frigidus coniunctus igni ardenti fit calidus et ardens; sic tepidus socians se fervido et devoto: fit saepe fervidus et devotus, doctus et morigeratus. Sic apostoli adhaerentes Christo: facti sunt viri sancti repleti Spiritu sancto. Sic Marcus adhaerens sancto Petro fit eruditus in evangelio sancto: quod audivit ab ore beati Petri

cum ingenti gaudio. Sic Timotheus adhaerens sancto Paulo: fit doctus in scripturis sanctis a iuventutis suae exordio. A quo postmodum proficiente Dei gratia ordinabatur episcopus in Epheso: multum praedilectus ab ipso, sicut filius unicus a patre carissimo. Sic sanctus Polycarpus coniunctus sancto Iohanni apostolo: fit fervidus praedicator fidei in populo et inclitus martyr cum sancto Ignatio. Sic beatissimus pater noster Augustinus instructus ac baptizatus a sancto Ambrosio episcopo: fit tandem gloriosus doctor sanctae ecclesiae illustrissime iam nominatus in toto mundo. Sic sanctus iuvenis Maurus adhaerens sancto Benedicto: fit Deo iuvante postea abbas sanctus virtutibus et miraculis clarus. Sic Deo dilectus Bernardus adhaerens venerabili abbati Stephano in Cisterciensi monasterio; fit lumen religionis in ordine suo: et tamquam clarum sidus fulgens in caelo.

Exempla sunt plurima tam nova quam vetera; quia prodest saluti animae societas bona: et nocet conventio prava. Prodest lectio bona: nocet auditio mala. Prodest solitudo cum silentio: nocet tumultus et vagus discursus in mundo. Aut igitur esto solus, Deo vacando: aut cum socio devoto de Christi virtutibus conferendo.

Cave de altis rebus curiose quaerere; stude vitia tua cognoscere: et remedia sana morbis adhibere.

DE FUGA SAECVLI ET LAQVEIS DIABOLI.

CAPITVLVM II.

Audiens sapiens sapientior erit. Audi adulescentule bone verbum aeternae sapientiae: super omnes sapientes mundi tibi magis utile. Noli secundum beati Iohannis dictum diligere mundum, et ea quae in mundo sunt: sed respue omnia tamquam stercora et venena. Cogita de fine sine fine: et cessabit temptatio. Cave animae tuae periculum; non sis alicui scandalum: nec loquaris indecens verbum. Si te retrahit a Deo pater carnalis: responde, quia patrem habes in caelis. Si mater aut soror impedit: dic eis. Mortales estis et fallaces: qui me creavit ipse me gubernabit. Qui Deo servit: omni bono non deficiet. Commenda omnes amicos tuos Deo, orans ut se emendent; et caveant a peccatis ne Deum offendant: et pro terrenis caelestia perdant. Magna cordis inquietudo: amicorum visitatio frequens. Mundus transit et concupi-

scentia eius: et tu pariter transibis et amici tecum omnes.

Multi laquei diaboli; et qui vult fieri dives et videri magnus: incidet in varias temptationes eius. Laquei cotidiani sunt cibus et potus, oculus vagus, sermo otiosus: inconstantia cordis, et taedium boni operis. Omnia vanitas: honor divitiae et potestas. Quid quaeris quid cupis videre in mundo; ubi nihil est mundum? Totum vanum lubricum et dolosum: praeter amare Deum et facere semper bonum. Non potes perfecte amare Deum: nisi contemnas te ipsum et mundum propter Deum; qui reddet tibi centuplum in praesenti: et vitam aeternam in futuro.

O frater peregrine non sit tibi grave elongari ab amicis et notis; qui saepe sunt impedimentum aeternae salutis: et subtractio divinae consolationis. Vbi sunt socii tui cum quibus lusisti et risisti? Nescio. Abierunt et me reliquerunt. Vbi est quod heri vidisti? Evanuit. Vbi est quod comedisti et bibisti? Totum periit. Quid nocuit quod abstinuisti? Nihil omnino. Sapiens ergo qui Deo servit et saeculum cum suis delectationibus funditus spernit. Vere ita est. Vae omnibus mundi illecebris ebriis: quos cito omnis iucunda societas deseret fugiet atque sepeliet. Ecce mortui sunt omnes. Non

ultra revertentur ad me: ego magis sequar eos Deo vocante. Hospites fuerunt super terram: et ego. Omnia hic reliquerunt: et ego. Tamquam umbra subito transierunt: et ego.

DE VERA SAPIENTIA QVAERENDA APVD DEVM.

CAPITVLVM III.

Beatus vir qui invenit sapientiam. Quaere veram sapientiam quam Christus docuit: et exemplo suo ostendit. Verus sapiens odit iniquitatem; loquitur veritatem: et operatur iustitiam. Qui sobrie caste pie humiliter et devote vivit, et pericula temptationum cavet: sapiens est et Deo placet. Hic bonam famam habet; bonam conscientiam servat: tristitiam fugat, pacem possidet; et cordis laetitiam frequenter a Deo accipit: quam mundus ignorat nec sapit.

Sapientia mundi vanitas est et stultitia reputatur apud Deum; decipit suos amatores: et in fine torquet ovantes.

Sapientia vero carnis mors animae est: quae subito tollit pariter vina bibentes et deliciis inhaerentes. Nam luctus et poena: post carnis gaudia foeda. Trahitur autem vera sapientia de occultis verbis

et sacris actibus Christi: qui suadet spernere mundum, fugere delicias; domare carnem, pati dolores: subire labores, amare virtutes.

DE PVGNA CONTRA PROPRIA VITIA.

CAPITVLVM IIII.

Regnum caelorum vim patitur. Multorum est incipere; paucorum proficere: paucissimorum ad perfectionem pervenire. Aut enim ad carnem nimis labimur; aut in superbiam erigimur: aut adversis frangimur. Heu raro hic invenitur qui Deum pure quaerit et se ipsum perfecte vincit: et funditus relinquit.

Dixit quidam devotus. Rara avis perfectio: arduum nimis vincere se ipsum. Qui non laborat pro virtute: non satiabitur eius dulcedine. Omnis virtus bonum habet sibi annexum: et recreat bene operantem. Qui vitiose agit generat sibi malum finem; perdit honorem, destruit quietem, invenit dolorem, auget tristitiam, tollit boni saporem. Qui autem abstinet a licitis: securior est ab illicitis. Qui canis linguam restringit: morsum non timebit; et qui silentium stricte servat, labiis suis non offendit. Longe est a mendacio, a lite, a detractione, a maledictione,

ab ira et murmuratione: qui libenter latet et tacet. Qui non audit mala, nec videt vana, facilius ea vitat: et neglegit similia recogitare. Sensuum enim custodia puritatis est causa; pacis disciplina: devotionis camera. Quando ira venit ad mentem: sapientia recedit a prudente. Qui iracunde loquitur: latranti cani assimilatur. Qui autem mansuete respondet motum irae frangit: et pro spinis rosas praebet afflicto. Benedicta lingua prudentis: quae sanat vulnera irascentis. Qui resistit vitiis quam cito oriuntur et parva videntur: facilius ea expellit antequam duriora fiant.

Qui innititur devotis exercitiis orando et meditando quae caelestia sunt: assimilatur sapienti hortulano plantanti rosas et lilia in agro suo. Hic valde gaudebit in futuro: cum sanctis angelis in caelesti paradiso. Angelis est similis: qui puritatem custodit mentis et corporis. Daemonum est servus qui consentit vitiis: et delectatur in cogitationibus pravis. Dura est pugna delectationi resistere; sed durior erit poena futura: in aeternis ignibus cruciari. Ardor ardore vincitur; clavus clavo expellitur: risus maerore fugatur. Cum amor Dei intrat: cuncta transitoria de corde recedunt. Sapiens est ille: qui spernit milia mille.

Omnia sunt nulla: rex papa plumbea bulla.

Cunctorum finis: mors vermis fovea cinis.

Quantumcumque enim quis se extollit: nil est, mors omnia tollit. Felix peregrinus qui habet hospitium in caelis.

DE DEVOTIONIS GRATIA ACQVIRENDA.

CAPITVLVM V.

Vae vobis qui ridetis, quia flebitis. Sicut virtus non potest stare cum vitio; sic devotio non potest acquiri cum risu et in convivio: sed cum luctu et in silentio. Perfecta autem virtus non subito acquiritur: sed paulatim et cum multo gemitu et dolore; cum firmo proposito proficiendi semper in melius: vim sibi faciendo saepius; scilicet ieiunando, vigilando, orando, meditando, studendo, scribendo, laborando, a fabulis abstinendo: et in secreto libenter manendo.

Omne gaudium quod de Deo non est cito perit: maculat et laedit. Bonus sermo suavis est ad audiendum; durus turbat amicum: otiosus perdit temporis fructum. Esto diligens in operando bona; patiens in tolerando mala: et beatus eris in vita

tua, Deum laudando omni hora. Raro tibi unum vel alterum istorum deerit: tristari aut laetari. Felix qui omnia ad bonum trahit: et de adversis lucrum sibi facit. Qui Deum diligit: amara sicut dulcia aequaliter a Deo accipit, et gratias agit. Bene et firmiter stat: qui non in se nec in homine, sed in Deo spem suam ponit.

DE AVDITIONE ET LECTIONE DIVINI SERMONIS.

CAPITVLVM VI.

Beati qui audiunt verbum Dei. Vile est solacium humanum: quod impedit divinum. Cum sacra lectio legitur Deus tibi loquitur: ideo cum humilitate verbum Dei audi gratanter. Veritas non est aspernanda: a quocumque simplici proferatur. Qui bene vivit bene docet; et qui bene legit: Dei nuntius est. Fidelis nuntius nociva tacet; utilia refert: fingere nescit. Pura veritas: iucundum verbum. Subtilis sermo parvulis nocet: blandus saepe decipit. Falsus narrator pacis turbator: qui illum audit scandalum non evadit. Iudex discretus: omni laude dignus. Durus et immisericors: non est misericordia dignus. Iracundus animus torquet se ipsum gravius: vexat

innocentes saepius; maledicit potentibus occulte: et deridet aperte bene agentes. Dolosus in verbis, fallit sibi credentes: ideo paucos habebit amicos. Bonum est tacere mala; sanctum vera proferre: rationabile modeste agere. Iustum est nulli nocere; pium omnibus prodesse: religiosum verbis et moribus proximum aedificare. Prudentis est agenda praemeditari: et sine causa nil novi quaerere; ignota non facile enarrare: dubiosa non statim confirmare. Magnum bonum pro pace cordis, silentium oris: nam os fatui quasi semper apertum rixisque proximum. Qui Deo placere desiderat cor et os custodiat; ne devotionis gratiam perdat: et quietem amantes offendat. Multa pulchra verba non implent saccum: nec eloquentia verborum sanctificat otiosum neque ambitiosum. Qui bene facit: bene habebit.

DE DIVINA CONSOLATIONE IN TRIBVLATIONE.

CAPITVLVM VII.

Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.

Nemo invenitur tam bonus et devotus: cui non occurrit aliquid oneris et gravitatis. Cum ergo fueris in tribulatione

et cordis maerore: tunc es cum Iesu in cruce. Cum autem iterum consolaris in oratione per gratiam sancti Spiritus; tunc quasi ex mortuis cum Christo resurgis de sepulchro: et celebras pascha in novitate vitae cum Iesu in corde iubilando. Cum vero audieris aliquem indigna et dura verba tibi dicentem: tunc datur tibi de calice Domini bibere, pro medicina animae tuae. Tace et bibe salutis pocula sine murmure: et Dominus respondebit pro te in vita et in morte. Non obliviscetur tui Deus. Nihil gloriosius: quam silendo et patiendo obstruere os loquentis iniqua; et sequi exemplum Christi tacentis coram Pilato: cui multa falsa fuere obiecta. Non enim es melior Deo tuo pro te flagellato ac deriso: et tandem a malignis occiso. Nescit homo quam bonus sit et virtuosus: nisi cum vexatus fuerit adversis. Christus multos habet amatores et sodales mensae: sed paucos sectatores abstinentiae.

Verus amator Crucifixi, non refugit pati dolores, nec confundi a perversis: ut sit Christo conformis in scandalo crucis. Nam cui Christus vivere est: huic pati et mori pro Christo lucrum est maximum. Quanto ardentius Deum quis diligit: tanto minus mortem timet; et eo amplius dissolvi concupiscit ut cum

Christo feliciter vivat: et in perpetuum cum angelis gaudeat. Felix anima quae Iesum medullitus amat; praesentia bona amore aeternorum vilipendit: pro nomine Iesu mala patienter tolerat; et ad pedes Iesu humiliter se prosternit et orat: ut in virtutibus proficiat et constans perseveret.

DE GAVDIO BONAE CONSCIENTIAE IN SPIRITV SANCTO.

CAPITVLVM VIII.

Gaudete in Domino semper. Congaude bonis, sustine malos; compatere infirmis, ignosce delinquentibus: ora pro omnibus. Proice a te malam tristitiam: quae importat acediam et rancorem. Assume dulcem et sanctam meditationem de vita et passione Christi: et invenies veram consolationem contra omnem tristitiam et temptationem. Bona vita meretur laudem: tepida conversatio sibi et aliis est onerosa. Bona conscientia parit gaudium: mala conscientia generat sibi tormentum. Studeas semper bene agere: et eris in bona pace. Non te nocebunt mala pravorum: si permanseris firmus in recta via iustorum. Bona conversatio hominis fert secum laetitiam

cordis: et famam iustae laudis. Vana exultatio cito perit ab ore laudantis. Plus nocet blanda laus stulti: quam dura correptio iusti.

Humilis oratio ascendit in caelum, placat Deum: impetrat gratiam, repellit diaboli fraudem. Humilis confessio meretur veniam: frivola excusatio aggravat culpam. Vera contritio delet maculam: fervens emendatio minuit poenam. Vana fabulatio subtrahit devotionis gratiam: bona locutio auget laetitiam. Cauta custodia sensuum ubique necessaria: utilis est vago clausura. Frequens oratio firma protectio: oris silentium pacis domicilium. Multi ferventer incipiunt: sed perseverantia accipit gloriae coronam. Iugum Christi amantibus est suave, tepidis grave; superbis amarum: mitibus leve, humilibus carum. Dulcis Iesus omnia dulcia et levia facit. Carnalis semper mollia quaerit: spiritualis talia fugit et odit. Maxime iustus dolet: quia omnes vitiorum motus extinguere nequit. Sed quare Deus istud permittit? Ideo ut homo semper se humiliet: et adiutorium divinum incessanter imploret.

Sicut superbus in honoribus et dives in divitiis laetatur: sic verus humilis in contemptu sui ipsius, et paucitate rerum delectatur. Gloria et divitiae ser-

vorum Dei: Christus rex caelorum. Extra Deum omnis delectatio prava; omnis laetitia vana: omnis copia rerum inopia est. Nil quippe animae famem satiat: nisi solus Deus qui eam creavit. Magna libertas animi: nil concupiscere quae sunt mundi.

Vita iusti bona agere mala pati; in omnibus Deum laudare: de bonis numquam superbire. Ille Deum veraciter laudat: qui viliter de se sentit; et quidquid boni cogitat loquitur et facit: hoc totum Deo fideliter ascribit. Cum ergo de vana gloria temptaris non consentias: sed cum propheta protinus humiliter dicas. Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Fortissimus triumphus hominis vincere quod delectat; aggredi quod terret: sufferre leniter quod graviter dolet.

DE BONIS MORIBVS HVMILIS FRATRIS.

CAPITVLVM IX.

Humilibus autem Deus dat gratiam. Omnis actio et locutio religiosi fratris debet humili verecundia ornari: et nulla re vana occupari. Bonum signum futurae probitatis in noviciis et iuveni-

bus: humiles habere mores, parum loqui et praecipue inter seniores. Qui non assuescit primo audire et discere tacere: raro reputabitur inter doctos et sapientes. Ideo multi iudicantur stulti: quia moribus sunt inculti. Cito oboedire, frequenter orare, devote meditari, diligenter laborare; libenter studere, discursus vitare, solitudinem diligere: devotum faciunt monachum et tranquillum animum. Legitur in Genesi quia Deus ad munera Abel respexit: ad Cain non aspexit. Quare? Quia Abel innocens et humilis: Cain autem invidus et perversus. Esto Abel patiendo tibi molestum: non litiges cum Cain ne perdas pacem et boni nominis famam. Melius est tibi rem tuam perdere: quam offendere Deum, et laedere fratrem ac frangere caritatem. Si vis lucrari thesaurum caelestem: proice a te terrae molem. Si cupis honorem perennem: despice gloriam temporalem. Si desideras pacem: cave contentionis locum et irae radicem. Si vis magnus esse in caelo: esto parvulus in mundo. Non te iustifices coram hominibus; quia vana laus humana: ubi accusat mala conscientia.

Audax et verbosus ambo vituperabiles: modum rectum non servantes. Multi fortes ceciderunt: quia nimis de se ipsis

praesumpserunt. Multi infirmi convaluerunt: quia in Deo speraverunt et eum invocaverunt. Humilis et mansuetus: amabilem se facit omnibus. Austerus et rigidus: avertit sibi approximantes. Vincit sibi contrarios patiens et taciturnus: cum obsequio caritatis. Multiplicat amicos: qui libenter servit aliis et compatitur tribulatis. Qui nescit tacere cum tempus est: confundit se coram multis.

Prudens est et habilis in artibus: qui scit se ipsum facere bonum et commendabilem in virtutibus. Ille fortis est viribus: qui fortiter resistit vitiis. Magnus est dominus: qui dominatur pravis desideriis suis. Fortis est miles et bene armatus: qui carnem domat continentiae armis. Dignus est locari cum angelis in caelis: qui caste vivit in terris. Homo castus amicus Dei, et angelorum socius: virginum cognatus, et sanctorum civis amatus. Humilis et castus vincit daemones: et terret impudicos. Magnus est praelatus qui virtuose se regit: et dat bonum exemplum subditis. Ille dignus est laude bonorum: qui nititur sequi virtutes eorum. Nobilis est et ingenuus: quem nobilitat sua virtus. Pulcher hic est homo: qui mundus est a peccato. Malus et si ornatur foris: niger tamen est intus. Ille felix est et dives: qui

gratia Dei plenus est et nil cupit honoris. Fatuus est et insanus qui amat sibi nociva: et dimittit animae salubria. Haec est sapientia divina quaerere bona sempiterna: et despicere omnia transitoria. Si quis a te appetit doceri: viam humilitatis ei ostende, et exemplo praecede. Verus humilis nescit inflari; spernit laudari, contemptus gaudet: laesus cito ignoscit.

DE INSTABILITATE HVMANI CORDIS.

CAPITVLVM X.

Qui manet in me et ego in eo: hic fert fructum multum.

Cogitationes et affectiones hominum variae sunt et instabiles: sed inanes omnes et impurae quae de Deo non sunt. O cor humanum cupidum nimis et insatiabile: quam malum est tibi et amarum relinquere Deum tuum. Cur multa inania cogitas; quae te perfecte consolari nequeunt nec plene satiare? Quid igitur facies; quo te vertes ut bene habeas? Revertere cito ad cor tuum; vide in quantis offendisti: cura emendare quae deliquisti. Praepara Deo domum mentis; custodi te ab irruentibus imaginibus et

curis externis: ut replearis consolatione sancti Spiritus.

Qui saepius foris evagatur: raro inde melioratur. Omnia ad nihilum tendunt: quae foris nitida apparent. Nec videntem satiant visa, nec audita implent corda; et nisi omnia referantur ad laudem Creatoris: inanis est omnis visio videntis. Hinc sanctus David cum cithara: laudes canit Deo in omni ecclesia. Delectasti me Domine in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo. Nemo stabilitur in bono creato: sed tantum in Deo solo summo bono. Sta in veritate; et veritas liberabit te de omni mendacio et iniquitate: de tua persona fabulata. Omnia quae de proximo male finguntur: revertentur in caput obloquentis. Christus veritas est: et qui sequitur Christum amator est veritatis, et omnis virtutis. Qui deserit veritatem propter lucrum temporale vel honorem: perdit fidem et virtutis decorem. Deus veritas est: et mendaces non sinit diu latere. Malus ad tempus se fingere potest; sed finaliter veridicus praevalebit: et fictus confundetur ubi non aestimat. Noli aliqua cogitare nec desiderare nisi quae recta sunt et Deo maxime placent; haec enim sunt virtutes et bona opera: ad honorem Dei facta. Mane in veritate et caritate: et eris

acceptus Deo et angelis et hominibus. Ne timeas. Malus potest auferre aliqua transitoria: sed Deus reddet patienti multo maiora et aeterna. Si vis habere pacem et bonam conscientiam: serva humilitatem patientiam et oboedientiam. Nullus peior hostis tibi: quam tu ipse tibi graviter commotus. Si enim proprios defectus caute consideras: aliorum facta parum ponderabis.

DE FIDVCIA IN DEO HABENDA TEMPORE ANGVSTIAE.

CAPITVLVM XI.

Spera in Domino: et fac bonitatem. Nemo vane exultet de bonis temporalibus; nemo de suis amicis et cognatis nimis confidat: quia omnia incerta sunt et plena periculis. Qui autem confidit in Domino et in necessitate ad eum clamaverit: non deseretur ab eo in quacumque tribulatione fuerit. Pax magna bene agenti, bona loquenti, nemini nocenti: ab omni via mala et iniqua cogitatione se custodienti. Claude ostium domus tuae: et eris in pace. Cadit facillime qui non proponit cotidie aliquid boni in corde: tamquam scutum contra ictum satanae. Multi cum eis non suc-

cedit prospere: desistunt orare et repugnare. Attamen sine labore et certamine virtus non acquiritur: nec sine cautione custoditur. Vagus et levis moribus horret disciplinam et cellam: sicut avis capturam. Non desperes graviter temptatus; aut duriter correptus, aut derisus, aut confusus, aut despectus: sed memento quia iniquitas tua despici et castigari iuste meretur. Sustine patienter: et loquere confidenter. Bonum mihi Domine quia humiliasti me: ut discam iustificationes tuas.

In temptatione et tribulatione homo addiscit Deum sibi esse magis necessarium: propter suam indigentiam et defectuum gravitatem. Fatuus et infidelis est servus: qui de bonis domini sui vult superbire et alios despicere. Qui conservos suos despicit et se meliorem reputat: Deum et omnes sanctos offendit. Hic error maxime in nobis oritur quia humiles non sumus; nec proprios defectus attendimus: quos semper attendere et deflere debemus. Vnusquisque sufficiens onus sibi ipsi est. Quid ergo prodest quod alienis factis te ingeris; et plus tollis quam portare vales? Ideo interdum homo aperte cadit aut errat aut aliquid neglegit; ut confusus coram aliis magis se humiliet, compati discat, erranti

subveniat: et apud se casu proprio doctus dicat. Hic homo est: non angelus. Sicut mihi accidit: sic et sibi contigit. Fratres sumus. Ego male: ipse forte bene praetendit. Qui numquam errat nec cadit: solus Deus est. Quare rides de lapsu alterius? Qui stas vide ne cadas. Deride lapsum tuum. Aperta confusio: saepe est extinctio vanae gloriae.

DE VIRTVTE ORATIONIS ET VTILITATE SACRAE LECTIONIS.

CAPITVLVM XII.

Sine intermissione orate.

Quare? Quia ubique sunt tribulationes et temptationes: ubique insidiae et immissiones per angelos malos. Raro audiuntur bona nova; ubique insurgunt proelia multa: intus timores, foris pugnae; nulla dies sine labore: nulla hora absque mortis horrore. Fiunt autem iusto Dei iudicio bella et incendia propter hominum peccata: et ut electi excitentur flagellis ad caelestia quaerenda. Ideoque continua oratio summe est necessaria contra omnia mundi pericula: tamquam fortis lorica contra hostium iacula. Qui non orat non pugnat; et qui non pugnat et resistit: cito vincitur et coronam perdit.

Sed quis potest semper orare et pugnare? Omnia potest qui Deum invocat: et in eo confidit. Nam prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Si non potes semper ore clamare; ora spiritu et mente: ora desiderio et pia intentione. Iuge sacrificium in ara cordis: est bona voluntas semper bene agendi et semper Deo serviendi. Semper enim orat: qui semper bene facit. Qui de praeteritis malis dolet, et pro futuris bonis gemit: orare non desinit. Dic cum sancto David in psalmo. Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Valde utilis est sermo Dei, et sacra lectio ad recolligendum animum per diversa distractum: aut aliqua passione gravatum. Lectio ostendit rectam viam vivendi; exempla provocant ad imitandum: oratio impetrat gratiam ad perficiendum. Bona est lectio de Deo; melior oratio ad Deum: optima operatio propter Deum. Beatus qui omnia verba et facta sua ordinat ad laudem Dei sicut in beatitudinis finem; ut sit Deus omnia in omnibus: et super omnia benedictus et laudatus in saecula.

Quomodo potest dici religiosus et effici devotus; quem delectat magis fabulari quam legere et orare? Qui libenter vana

audit et levia profert: vili pretio animam suam vendit. In omni tribulatione et temptatione ad orationem recurre: sicut ad portum animae tutum, divinum implorando auxilium. Quanto citius tanto melius: quanto tardius tanto peius. Quanto saepius tanto utilius: quanto ferventius tanto Deo acceptius. Pius et misericors Deus vult rogari; causas dat orandi: spem promittit exaudiendi dicens. Petite: et dabitur vobis. Hortatur verbis, provocat exemplis: minatur virgis, blanditur donis; castigat adversis, laetificat prosperis: et sic fit vespere et mane dies unus. Saepe etiam dat Deus experimentum internae suavitatis devote orantibus, secrete manentibus, et libenter tacentibus: quod denegat fabulantibus et foris vagantibus.

Qui vult bona nova audire: audiat Christum loquentem de regno Dei, de iudicio futuro; de caelesti Ierusalem, de felicitate civium supernorum: de ordinibus et choris angelorum laetantium in saecula saeculorum. Audiat prophetas mysteria Christi nuntiantes: et peccatoribus poenas intonantes. Audiat apostolos et evangelistas: opera et miracula Christi aperte narrantes. Audiat doctores pulchre sermocinantes, obscura clare exponentes; moribus vitam ornantes: haereses et errores confutantes. Capiat qui-

libet, quod sibi deservit et placet; non spernat simplicia: nec reprehendat quae non intellegit-alta. Stultum est enim reprehendere sapientes: iniquum iudicare divinos et sanctos.

Stude primo humiliter discere et parva implere: et Deus dabit tibi maiora si utile fuerit citius intellegere. Scriptum est enim. Scienti bonum et non facienti: peccatum est illi. Qui multa scit et legit, si non facit quae novit et didicit: vacuus de bona mensa recedit. Qui raro orat et parum laborat: diu frigidus et pauper remanebit. Qui contra vitia disputat et vitiis non resistit: bona semina inter spinas iactat. Parvum fructum de multis verbis colligit: qui orando cor a pravis cogitationibus non praemunit.

Felix anima quae ab omni impuritate irruente stricte se custodit: nec patitur quid morari in abdito cordis quod oculos Dei latenter offendat. Humilis confessio peccatorum: purgatio est omnium vitiorum in corde humili et contrito ante Deum.

Devotus delectatur in precibus: studiosus in libris, virtuosus in virtutibus; superbus in honoribus, humilis in despectibus, dives in praediis, avarus in pecuniis: mendicus in eleemosynis, gulosus in cibis et potibus, otiosus in fabulis, sobrius in

abstinentia; sapiens in sapientia, bonus monachus in ordinis disciplina: super omnia autem delectat et laetificat amor Dei et bona conscientia.

Si vis vincere animae tuae nequissimos hostes; fuge tace quiesce: ora ieiuna stude labora. Sanctus cogitat sancta; loquitur vera, operatur recta: spernit praesentia, contemplatur aeterna. Humilis audit consilia, prudens cavet pericula; patiens pie fert sibi molesta: diligens non neglegit opera sua. Qui parva non cavet: ad peiora corruet. Tepidus de mane: raro fervescit in vespere. Qui cito abicit a se torporem et arripit laborem: gaudium sibi acquirit et magnum honorem. Et si non ab hominibus: certe a Deo quod est omnibus amplius optandum et praeferendum. Nam ipse merces omnium bonorum laborum, sudorum et dolorum perpesque corona sanctorum. Otiosus non satiatur fabulis: virtuosus etiam abstinet a licitis. Ille bene stat et recte ambulat; qui in humilitate se fundat: et omnes mundi honores pro nihilo taxat. Ille optime sapit et sapienter agit; qui soli Deo placere studet: exteriora fugit, interna quaerit; caelestia appetit, terrena omnia fastidit, se despicit: et amorem Dei omnibus bonis semper praeponit.

DE LAVDE CARITATIS ET FRVCTIBVS EIVS.

CAPITVLVM XIII.

Omnia vestra in caritate fiant. Nobilis virtus est caritas: quae omnibus virtutibus supereminet et scientiis et donis. Haec Deum amplectitur, et angelos sociat hominibus: et de filiis hominum efficit filios Dei et amicos sanctorum. Haec Christum fecit nasci de virgine: et crucifigi pro humana salute. Haec animam a peccato purificat; et ad amandum Deum toto corde toto affectu toto intellectu sursum trahit: ac mira dulcedine replet et accendit. Haec de peccatoribus facit iustos, de servis liberos; de hostibus amicos, de peregrinis cives, de ignotis familiares, de vagis stabiles: de superbis humiles, de perversis mites: de tepidis fervidos, de tristibus laetos; de tenacibus largos, de terrenis caelestes: et de indoctis sapientes. Haec omnia operatur caritas diffusa in credentium cordibus: per Spiritum sanctum datum eis de caelis. Haec alas habet latissimas et longas; volat super cherubin et seraphin: et super omnes choros angelorum. Coniungit summa infimis; transit per media, redit ad summa: unum

efficit de multis; laetificat omnes et singulos, non in se ipsis vane gloriantes: sed in divino amore super se excedentes.

Caritas circuit caelum et terram, mare et aridam; et omnia quae videt et audit in creaturis: ad laudem et gloriam refert Creatoris. Non enim est aliquid tam parvum et vile in rerum naturis; in quibus non luceat bonitas entis, opus artificis, potentia creantis, sapientia disponentis: et providentia omnia rectissime gubernantis.

Haec consideratio facit animam devotam Deum laudare: omni loco et tempore benedicere, exultare et iubilare. Per hanc animus ardescit intus, et sicut cera liquescit a facie ignis; nescit modum tenere: sed super omnia caeli luminaria volitat; ut unicum dilectum suum et omnium rerum conditorem omnibus praesidentem inveniat: quatenus in eo felicissime gaudeat et secure quiescat. O quam iucunde et peroptime illi est: cui adhaerere Deo et secrete frui datum est. O si parum mihi gustare liceat: quod angelis clare patet, et finem non habet.

Sed ad activam vitam redeundum: et contra temptationes cotidianas fortiter per virtutem caritatis proeliandum. Saepe enim post magnam consolationem sequitur gravis desolatio, aut importuna temp-

tatio, vel corporis laesio; aut hominum vexatio, aut amicorum subtractio: aut hostium invasio, aut mentis conturbatio; aut derisio parvulorum, aut increpatio maiorum: aut dura correctio praelatorum. Omnia haec contingunt ad humiliandum cordis nostri superbiam: ad compatiendum infirmis tribulatis et temptatis. Non ergo confidamus in nobis, nec alta sapiamus nec commoda nostra quaeramus: sed in omnibus humiliemus nos subiecti Deo, et omni humanae creaturae propter Deum in vera caritate.

Per caritatem venit Deus in mundum: per caritatem reduxit hominem ad caelum. Per caritatem Christus descendit ad hominem peccatorem; per caritatem et crucis ignominiam ascendit ad Patris dexteram: et dedit homini maximum honorem.

Caritas numquam est otiosa; operatur enim magna et sublimia: inclinat se etiam libenter ad humilia et abiecta. Ipsa perficit diligenter honesta: delectatur viliora sibi iniungi ex oboedientia. Non abhorret tangere infirmorum vulnera; lavare pedes, sternere lectulos: purgare vestes, tergere sordes. Ipsa patienter fert aspera: laetatur inter obprobria.

Sicut ignis ligna consumit: sic caritas vitia extinguit. Cor mundat per contri-

tionem, lavat per confessionem: abstergit per orationem, illuminat per sacram lectionem; accendit per devotam meditationem: colligit per secretam habitationem, coniungit animam Deo per ferventem amorem. Caritas excitat os hominis ad laudandum Deum; manus ad operandum, pedes ad ambulandum, oculos ad contemplandum, memoriam ad recordandum: exteriora membra ad serviendum, interiora dona ad amandum Deum super omnia bona in caelo et in terra.

Ipsa caritas in humili anima delet mala praeterita, munit contra futura: instruit de praesentibus, liberat de multis dubiis; prohibet a curiosis, amputat superflua: excludit vana, arguit falsa, odit turpia, mitigat dura; illuminat obscura, aperit oranti caeli secreta: ordinat omnia intus et extra. Caritas est bona voluntas in anima sancta quae non desistit recta operari: quamvis debilitas vel necessitas quandoque non permittit agere bonum, quod praetendit.

O felix et munda anima cui Deus est omnia; quae praeter Deum nil sentit iucundum nec pretiosum: sed cuncta amara ei videntur et onerosa. Talem Deus requirit, talem diligit; quae se et omnia propter eius amorem spernit et relinquit: fortiter certat, et cor suum in

puritate custodit. Cito et libere ad Deum anima pura pergit; et super omnia mundi condita evolat: quae in terris nil commodi nec honoris concupiscit. Caritas Christi omnia vincula mundi solvit; omnia onera levia facit: et quaecumque Deo placent fideliter implere satagit. Vnde cum Christo orat et dicit. Pater non mea voluntas: sed tua semper et ubique fiat.

DE VIGILI CVRA ET LABORE CONTRA TEMPTATIONES.

CAPITVLVM XIIII.

Resiste diabolo: et fugiet à vobis. Vbicumque fuerit bonus homo occupatus cum Deo orando meditando studendo scribendo, ibi assunt angeli sancti congaudendo: assunt et daemones ipsum temptando et distrahendo. Cum inceperis orare fugiunt daemones quasi ab igne sancti Spiritus; et cum volueris fabulari redeunt omnes celeriter: ad augendum rumores inanes. Si autem supervenerit bonus praelatus dissipabit mox omnes fabulantes; et arguet otio vacantes: et bona opera neglegentes. Maneas ergo in silentio et cogita de Deo tuo pro solacio habendo; et liberaberis

de taedio boni operis: te perseverante in bono incepto. Esto fidelis in modico: et lucraberis decem milia talenta in regno superno. Non sis otiosus in secreto; nec verbosus in publico: et fugiet diabolus victus a taciturno. Odit enim laborantem et tacentem: orantem et bona meditantem. Vbicumque fueris solus vel cum aliis: oportet te certare vigilare et orare contra temptationes carnis et spiritus. Certa fortiter, ora ferventer, labora diligenter; stude frequenter, tace libenter: sustine patienter. Spera in Domino semper: quantumcumque fueris tribulatus et desolatus vehementer. Qui se ipsum in omni loco et tempore ponit ad patientiam; maiorem nunc habebit pacem, et de adversariis victoriam: et in futuro cum electis clariorem gloriae coronam optinebit.

DE FRATERNO ONERE INVICEM PORTANDO.

CAPITVLVM XV.

Alter alterius onera portate. Quoniam quidem omnes in Christo unum sumus; ideo fraternam caritatem tenere debemus in vinculo pacis: et in bono semper concordare.

Omnes Christi membra sumus, renati in baptismo per gratiam Spiritus sancti: passione Christi redempti, sanguine Christi mundati; corpore Christi refecti, verbis Christi eruditi: miraculis Christi confirmati, exemplis Christi aedificati. Quid ergo alterutrum nocetis fratres mei? Qui alium verbo vel facto laedit: Christum offendit. Christus vindicabit; Christus puniet: nisi cito se emendaverit. Vnum Deum patrem habemus in caelis: omnes Christi fratres sumus, de quacumque civitate vel patria hic congregati: aut quantalibet parentela nobili vel ignobili generati. Vnus Deus nos omnes creavit, unus pascit et gubernat; unus ad unius beatitudinis finem nos vocavit et cotidie vocat: per vocem foris, per contritionem intus; qui se nobis videndum promisit in praemium aeternum in conspectu angelorum: cum unanimi felicitate omnium civium supernorum. Si ergo a Deo unanimiter vocati sumus, uno pretio redempti, uno spiritu omnes potati: studeamus invicem diligere et servire. Si Christo placere cupimus tunc propter Christum invicem onera nostra portemus; et ex caritate pro invicem oremus: quia sic Deus in nobis est et nos in Deo sumus. Quidquid imperfectionis et ineptitudinis videmus vel audimus; hoc pie in bonum inter-

pretari debemus: sicut de nobis fieri optamus.

O frater amande porta et portaberis: excusa et excusaberis. Compatere peccanti: et compatietur tibi. Consolare lugentem: et consolaberis a gaudente. Erige cadentem: et erigeris Domino auxiliante. Sicut feceris alteri, sic fiet etiam tibi: Deo iuste iudicante et vindicante. Non mireris nec indigneris si cadit homo fragilis in mundo; quia angelus cecidit in caelo: et Adam in paradiso victus a modico pomo. Saepe valde parva res est unde homo valde graviter temptatur in se ipso: vel etiam vexatur ab alio. Hoc Deus iuste permittit contingere; ut veraciter cognoscas, quia si non potes parva vincere: non poteris graviora superare.

Esto benignus in fratrem temptatum: et ora pro tribulato sicut pro temet ipso. Bonum tuum bonum meum per congratulationem: et malum tuum malum meum per compassionem. Nam omnes fragiles homines sumus: idcirco pro invicem orare ex caritate tenemur. Nemo alteri improperare potest defectum suum se neglecto; quia si quis aliquem defectuosum despicit: quasi caecus caecum illudit; et surdus surdo maledicit: et stultus stultum deridet. Tace de alio tibi non commisso male loqui: sed te ipsum

magis respice et corrige quod forefecisti. Si recte iudicas et proximum emendare intendis: a te ipso incipe. Et tunc procede non commote: sed modeste et discrete. Si diligis me sincere et fraterne; compatere mihi sicut tibi: et ora pro me. Qui alium corripit et pro eo non orat nec condolet; crudelis est hostis non medicus pius: sed onerosus fabulator. Qui pro alio sicut pro se ipso orat: duplex bonum facit. Quanto quis plus habet de bono fraternae caritatis; tanto libentius pro eo orat ut perfectius se emendet: et oculos infirmorum non offendat. Ideo amplius contristatur si audire noluerit: et admonenti indignatur. Quilibet est alteri aut rosa redolens: aut spina pungens.

DE AMORE CHRISTI ET ODIO MVNDI.

CAPITVLVM XVI.

Manete in dilectione mea. Vox Christi vox dulcis ad audiendum: salubris omnibus ad oboediendum. Amor Christi iucunditas mentis, paradisus animae; excludit mundum, vincit diabolum: claudit infernum, aperit caelum. Amor Christi et mundi contrarii sunt:

et nihil commune habent, nec simul commorari possunt. Amor Christi currus Eliae ascendens in caelum: amor mundi quadriga diaboli trahens ad infernum. Amor sui laesio sui: oblivio mundi inventio caeli. Plus nocet blanda locutio ficti amici: quam dura correptio hominis iusti. Cogitatio dolosi fingit mendacia: mens iusti recte procedit in causis. Non evadet scandalum: qui alteri infert scandalum. Rector et cognitor omnium Deus non diu patitur oviculam suam errare et balare; sed aut baculo timoris feriens revocat: aut amoris oculo intuens ad conscientiam reducit.

Vbi pax et concordia: ibi Deus et omnia bona. Vbi lis et dissensio: ibi diabolus et omnia mala. Vbi humilitas: ibi sapientia. Vbi superbia: ibi radix malitiae. Vince superbiam: et invenies pacem magnam. Vbi dura verba: ibi laeduntur caritatis viscera. Vbi solitudo et silentium: ibi quies monachorum. Vbi labor et disciplina: ibi profectus religiosorum. Vbi risus et dissolutio: ibi fugit devotio. Otiosus et verbosus raro compunctus: raro a delicto purus. Vbi prompta oboedientia: ibi laeta conscientia. Vbi fabulatio longa: ibi operis neglegentia. Vbi propria exquisitio: ibi caritatis defectus. Vbi doctrina Christi viget: ibi

salus animae crescit. Vbi fratrum concordia: ibi dulcis melodia. Vbi mediocritas servatur: ibi virtus concordiae diutius perseverat. Vbi discretio in corripiendo culpas aliorum custoditur; ibi nemo iuste conqueri debet: nec facile praelato indignari. Vnde quidam. Omnibus adde modum: modus est pulcherrima virtus. Vbi patientia: ibi magna hostis victoria. Vbi turbatio intrat: ibi pax cito de domo recedit. Claude oris ostium: et pondera verba tua antequam loquaris. Vbi fides et veritas: ibi pacis securitas. Vbi dolus et nequitia: ibi stulta cogitatio et caeca prudentia. Vbi caritas: ibi Spiritus sanctus. Vbi levis suspicio: ibi frequens indignatio. Vbi veritatis cognitio: ibi rectis corde laetitia. Vbi ficta narratio: ibi saepe amici deceptio latet. Vbi humilis confessio: ibi facilis veniae impetratio. Vbi terrena sapientia deficit: ibi divina protectio amplius est invocanda. Quicumque malitiose iniusta praetendit: ipse malum finem consequetur. Pax multa bene agenti: et ad patientiam se praeparanti. Vae impio in malo et ficto in bono: quia nemini plus nocet iniquitas sua quam ipsa sibi. Vbi duplicitas: ibi inconstantia et multa nequitia. Bene simplici et iusto sine dolo: quia Deus cum eo dirigens omnia opera

eius itinere recto. Qui verbum suum male servat; quis facile ei credet? Qui autem verbum suum in melius mutat: verbum veritatis non infringit.

Delectabile est bona audire: sed laudabile magis opere exercere. Optima collatio: vitae emendatio. Fructus bonae collationis abstinere a peccatis: et proficere in virtutibus. Fructus devotae orationis: unire cor suum cum Deo in fervore sancti Spiritus. Ille devote orat: qui omnia vana a se excludit. Qui imaginem Crucifixi sibi praeponit: diabolica phantasmata cito repellit. Pulchra animae imaginatio: passionis Christi iugis recordatio. Qui sacra Iesu vulnera cotidie pensat: mentis suae vulnera mitigat purgat et curat. Qui omnia terrena tamquam lutum vilipendit nec honores desiderat; cordis munditiam acquirit: et Deo libere vacare potest. Ille Deum summe laudat et honorat; qui se ipsum profunde humiliat: et defectus suos caute considerat gemit et plorat. Magnus clamor in auribus Dei: vera contritio cordis ex ore humilis peccatoris. Quidquid boni facis: ad laudem Dei facias. Qui virtutes suas et aliorum quaelibet opera bona simpliciter et integre pure et libere ad laudem et honorem Dei refert: totum Deo ascribendo, nil meritis suis nec viribus

attribuendo; sed ab omnibus se spoliat et denudat: superbiam invidiam et vanam gloriam funditus calcat et necat. Aeterna namque gloria et honore se privat: qui in se et non in Deo solo summo bono gaudet. Ideoque beata virgo Maria pro maximis donis sibi collatis in suo devotissimo cantico iubilans dicit. Exultavit spiritus meus: in Deo salutari meo. Qui se aliquid esse putat cum nihil sit: se ipsum seducit ait apostolus Paulus. Qui in tertium caelum raptus, non est ex hoc elatus; sed quidquid boni fecit docuit et dictavit: hoc totum fideliter Deo attribuit dicens. Gratia Dei sum id quod sum.

DE IMITATIONE SANCTISSIMAE VITAE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

CAPITVLVM XVII.

Quod uni de fratribus meis minimis fecistis: mihi fecistis.

Notate verba; signate mysteria: imitamini exempla. Qui fratri indigenti subvenit: Iesum per manum retinet. Qui onus sibi impositum patienter sustinet: Iesum et hunc crucifixum in umeris suis portat. Qui fratri contristato solaciosum

verbum respondet: osculum amorosum ori Iesu tribuit. Qui alterius culpam plangit, et pro eo veniam petit: pedes Iesu lavat et extergit. Qui irascentem ad pacem reformat: lectulum floridum Iesu in anima parat. Qui fratri in mensa meliora quam sibi apponit: Iesum caritatis dapibus et favo mellis pascit. Qui bonas meditationes de Deo assumit: Iesum in thalamum cordis sui introducit. Qui fratri librum sacrae lectionis porrigit: vinum optimum ori Iesu propinat. Qui otiosa verba loqui prohibet: muscas de mensa Iesu expellit. Qui detractiones audire renuit et loquentes inhonesta corripit: nigrum canem de domo Iesu baculo ferit et fugat. Qui infra refectionem bene et distincte legit: convivantes in mensa Iesu poculo caelesti laetificat et sitientes inebriat. Qui male legit saporem cibi minuit; et qui saepe titubat: mappam Iesu maculat. Qui mala alterius audit et multum inde dolet et gemit: sacra Iesu vulnera tangit et perungit. Qui bona exempla et virtutes de proximo suo narrat: pulchros flores oculis Iesu repraesentat. Qui verba Iesu devote legit et praedicat: in naribus audientium dulcia aromata spargit. Qui defectus alterius pie portat et excusat: misericordiam Iesu cito impetrabit. Qui diffamiam alterius et scan-

dalum proximi occultat: nuda Iesu membra vestibus tegit. Qui divina miracula et humilia Christi opera sedule cogitat et suaviter ruminat: mel et lac ex ore Iesu accipit. Sic enim beatissima Agnes dixit et fecit: quae etiam pro amore Iesu sanguinem suum fudit. Qui pro debili et infirmo fratre legit aut cantat: ante cunabulum Iesu cum angelis iucunde citharizat. Qui devote orat, et a delicatis cibis abstinet, et propriis rebus renuntiat: cum sanctis magis tria pretiosa munera Iesu manibus offert. Qui capita fratrum ac vestes lavat: cum sancto Iohanne Baptista Iesum baptizat. Qui cellam suam custodit et tacet: cum Iesu desertum intrat. Qui vitiis resistit et corpus castigat: cum Iesu ieiunat. Qui fratri salutare verbum dicit: cum Iesu regnum Dei praedicat. Qui pro infirmo et temptato fideliter orat; cum Iesu Lazarum visitat: et cum Maria et Martha plorat. Qui pro fidelibus defunctis missas celebrat et vigilias legit; cum Iesu ad monumentum Lazari transit: orans ut animas a poenis misericorditer liberet. Qui cum fratribus ad commune refectorium vadit, ut sacram lectionem audiat: cum Iesu et discipulis eius cenat et bibit. Qui eloquia Dei in mensa lecta in corde suo recondit: cum sancto Iohanne apostolo supra pectus

Iesu in cena recumbit. Qui in adversis humiliter et prompte oboedit: Iesum veraciter cum discipulis in montem Oliveti sequitur: ubi traditus et captus fuit. Qui in tribulatione sua et temptatione instanter et ferventer orat: cum Iesu in agonia contra diabolum pugnat. Qui suum velle et nolle totaliter relinquit; cum Iesu voluntatem Patris sui gratanter implet: et crucem in Calvariam portat. Qui pro adversariis suis orat et peccantibus libenter indulget; cum Iesu pro inimicis rogat ne male pereant: sed convertantur ad Deum et vivant. Qui omnibus quae sunt mundi sponte renuntiat et cuncta visibilia oblivioni tradit; cum Iesu in cruce moritur: et cum Paulo in paradisum rapitur. Qui cor suum mundum et quietum servat; Iesum in sindone munda volvit: et in corde sepelit. Qui in servitio Iesu usque in finem perseverat: cum Iesu in sepulchro suaviter dormiet et requiescet. Qui beatae virgini Mariae in doloribus suis compatitur: hic iterum ab ea in angustiis suis cum pio filio suo Iesu consolari meretur. Qui omnia verba et gesta Iesu mente recolit et dente conterit; dulces aromatum species illi praeparat: quae ad solacium animae tristis optime valent. Qui de beneficiis sibi collatis humiliter et devote gratias agit: cum Maria Mag-

dalena ad monumentum Iesu cum aromatibus venit. Qui post contritionem et confessionem peccatorum firmiter se emendare proponit: cum Iesu a morte culpae resurgit. Qui torporem mentis abicit et novum fervorem arripit; novum pascha in spiritu cum Iesu celebrat: et alleluia cum eo in choro iubilans cantat. Qui omnia saeculi gaudia spernit, pericula fugit, religiosam vitam quaerit et acceptat: cum Iesu et discipulis eius cenaculum clausum intrat; ut in secreto liberius Deo serviat, purius vivat: et Spiritum sanctum plenius accipiat. Qui omnia temporalia neglegit, et in meditatione sancta ad caelestia totus inardescit: cum Iesu ad caelos pergit et ascendit. Beata anima cui Christus vivere est: et mori cum Christo lucrum. Oportet quod sibi ipsi moriatur: qui Christo vivere desiderat. Oportet quod omnia caduca relinquat: cui Christus sapere et dulcescere debet. Labor est in relinquendo; dolor in moriendo: sed aeterna salus et vita cum Christo feliciter regnando. O quando hoc erit ut solus Deus mihi totus sit: et ego illi totus intentus et unitus. Quamdiu enim anima fidelis non est Deo unita in gloria: non potest plene esse beata. Sequere ergo Christum passibus amoris in vita tua per fidem caritate ferventem: ut dignus

fias videre cum facie ad faciem angelos beatificantem. Ad quam intuendam nos omnes perducere dignetur Iesus Christus post mortem: qui pro omnibus nobis amaram pertulit crucem. Amen.

DE AETERNA LAVDE DEI.

CAPITVLVM XVIII.

Semper laus eius in ore meo. O dulcis vox in auribus devotorum: sed dulcior in praesentia Dei et sanctorum angelorum. Si omnia organa musicorum canerent et laudem Dei non resonarent; in vanum concreparent: nec animam sanctam recrearent neque satiarent. Oportet enim quod Deus et honor eius sit causa canendi, et omnis vanitas sit exclusa: si laus debet esse Deo grata et accepta. Si intentio tua fuerit pura: tunc poteris exultare in vera cordis laetitia cum Maria. Dulcis symphonia in caelo et in terra; laudare Deum puro corde et consona voce cum omni creatura: pro sua immensa bonitate et excellenti magnificentia. Delectabile opus laudare Deum omni tempore; diligere creatorem caeli et terrae: honorare maxime aeternae vitae largitorem. Siquidem sanctorum angelorum vita honor et gloria laudare

Deum totis praecordiis; et numquam a laude cessare: qui numquam possunt fatigari nec inaniter gloriari. Hoc etiam agunt sanctorum animae in caelesti patria; liberatae de vinculis corporis, de laqueis satanae, ab omni temptatione eius securae: et iam Deo unitae in perfecta caritate et perenni laetitia, et ineffabili beatitudine repletae. Recogitant modo liberae cum maxima dulcedine; in quanta fuerunt tribulatione et amaritudine: et quanta evaserunt pericula et temptamenta huius miserae vitae. Versa sunt eis omnia lamenta in cantica laetitiae: et dura verbera in augmenta pulchrioris coronae.

O quam beata illa patria, ubi pacata sunt omnia; tristia nulla omnia iucunda: divina laude et dulci iubilo plena. Benedic ergo et tu anima fidelis Dominum de caelis: lauda Deum tuum Sion gravata pondere carnis. Invoca Iesum in loco certaminis: ut assit tibi a dextris tuis et sinistris cum angelis sanctis. Ora ne praevaleat contra te daemonum impetus; ne decipiat te mollities carnis: nec frangat te rigor ordinis, neque labor corporis. Suscipe pro Christi amore onus sanctae crucis: quae aperit tibi portam regni caelestis. Quid amplius cupis? Via regia veniendi ad Christum est vincere pro-

priam voluntatem; sustinere defectum: non quaerere carnis commodum. Habebis certe aetèrnam requiem pro parvo labore: aeternum honorem pro humili statu et infimo loco. Sit ergo semper laus Dei in ore tuo; in prosperis et adversis; multum enim in hoc potes promereri: si plene te resignaveris ad voluntatem Dei. Quidquid gravitatis tibi occurrerit interius aut exterius; hoc accipe pie et gratiose de manu benigni Creatoris: qui curam gerit de omnibus nobis pusillis et magnis. Qui te fecit ad imaginem suam: non relinquet te in necessitatibus tuis propter immensam bonitatem suam. Aperi ergo os tuum in laudem Dei omnipotentis: cuius providentia reguntur omnia in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.

Lauda creatorem tuum qui te fecit hominem et non bestiam; et si te muscam fecisset: adhuc laudandus esset et bene fecisset. Non potest leo gloriari de fortitudine sua contra muscam et culicem; quia si leo potest altius clamare: non tamen potest tam alte sicut musca volare. Ne ergo sit contentio inter magnum et parvum, inter divitem et pauperem: inter fortem et debilem, inter sapientem et simplicem, inter regentem et servientem; omnes pariter laudemus Dominum

Deum qui creavit omnem creaturam mira pulchritudine et varietate ad laudem nominis sui et gloriam: et hominum utilitatem largiter et aperte demonstrandam.

Lauda anima fidelis redemptorem tuum: qui te redemit de manu aeternae mortis per passionem suae benedictae crucis. Cui digne regratiari non poteris: etiam si milies pro ipso mori et crucifigi posses. Lauda protectorem tuum: qui te a multis periculis et peccatis custodivit. Lauda benefactorem tuum qui tanta beneficia tibi tribuit: quae vix enumerare sufficis. Ecce adhuc cotidie nova dona tibi transmittit; et per se etiam ad te in altari venit: in quo optimum donum quod ipse est et habet tibi ad communicandum praebet. Nil aliud pro his a te requirit et tam gratum habet: nisi ut ipsum pure et intime propter se ipsum ames et laudes.

Cum laetus fueris et bene tibi succesSerit; lauda et gratias age: quia pius Dominus te consolari dignatus est, ne in via deficias. Nam totiens panem de caelo tibi ad refocillandum spiritum tuum mittit; quotiens verbum Dei audis et legis: ac de incarnatione et passione Christi devote meditaris. Cum fueris tristis aut debilis: lauda et gratias age; quia Deus

te visitat probat et purgat: ne superbias et de te praesumas. Afflictio enim corporis: saepe est reductio ad compunctionem cordis. Cum fueris sanus et fortis: lauda et gratias age; quia Deus dedit tibi vires ut labores et aliis servias: et tempus numquam otiose expendas. Cum fueris in horto vel in pomerio videns diversas species et arbores, flores et rosas, pira poma, herbarum vires et lilia odorifera: lauda et gratias age; quia ostendit tibi Deus multa mirabilia opera sua in terra germinantia: quae omni anno renovat mira potentia et sapientia sua pro magna sua bonitate et hominum utilitate.

In omni ergo loco et tempore lauda Deum et gratias age: quia plena est omnis terra maiestate eius, et super caelos gloria eius. Lauda Deum cum omnibus sanctis in terris: quem laudant omnes angeli in caelis. Si laudas angelis assimilaris: si non laudas ingratus es et peior bestiis. Ecce volucres caeli cantant, pisces natant, canes latrant, pecora clamant; et omnia elementa ad laudem Dei se movent: et magnificentiam creatoris sui naturalibus motibus demonstrant. In cunctis ergo quae agis habe Deum prae oculis tuis; cave offensas, gratias age pro beneficiis im-

pensis: et in fine cuiuslibet operis tui corde tenus regratiando Deo sic conclude. Deo gratias, Deo laus: nunc et in aeternum. Omnis spiritus laudet Dominum. Amen.

EXPLICIT HORTVLVS ROSARVM.

VALLIS LILIORVM

INCIPIT PROLOGVS IN LIBRVM QVI DICITVR VALLIS LILIORVM.

Iustus germinabit sicut lilium: et florebit in aeternum ante Dominum.

Iste libellus potest nominari Vallis liliorum; ad distinctionem alterius praecedentis: qui Hortulus rosarum intitulatur. Quia sicut ille tractat de multis virtutibus tamquam de rubeis rosis in hortulo Iesu natis; sic iste loquitur de multis virtutibus tamquam de candidis liliis in valle humilitatis a Domino Iesu plantatis: et Spiritus sancti intima aspersione dulciter irrigatis. Nam testante beato Gregorio qui sine humilitate virtutes congregat: in ventum pulverem portat. De his quoque liliis loquitur etiam sponsa Christi humilis et devota anima ad Iesum sponsum suum in Canticis canticorum: ore cantans et corde iubilans de visitatione sua et donis eius. Dilectus meus inquit mihi et ego illi: qui pascitur inter lilia. Et iterum. Di-

lectus meus candidus et rubicundus: inter ubera mea commorabitur. Cui laus honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SEQVENTIS QVI DICITVR VALLIS LILIORVM.

De triplici statu humanae vitae . Cap. I.
De laude Dei in paupertate . . Cap. II.
De probatione devotorum per contraria . . . . . Cap. III.
De vero amatore Dei . . . . . Cap. IIII.
De gratitudine animae pro omni bono . . Cap. V.
De conformitate animae devotae cum Crucifixo . . . . . Cap. VI.
De ambulatione animae purae cum Deo . Cap. VII.
De pace cordis et quiete in Deo . . . . Cap. VIII.
De recollectione cordis cum Deo . . . Cap. IX.
De vigilatione et oratione contra temptationes Cap. X.
De timore aeternae poenae contra vitia carnis . . . . . Cap. XI.
De memoria Dominicae passionis . . . Cap. XII.
De invocatione sancti nominis Iesu et beatae Mariae . . . . . Cap. XIII.
De forti certamine contra vitia . . . . Cap. XIIII.
De stabilitate in loco et in ordine . . . Cap. XV.
De divino solacio in tribulatione . . . Cap. XVI.
De custodia conscientiae . . . . . Cap. XVII.
De solitudine et silentio . . . . . Cap. XVIII.
De refugio pauperis ad Deum adiutorem suum . . . . . Cap. XIX.
De paupere et infirmo Lazaro . . . . Cap. XX.
De claro intellectu sacrae scripturae . . Cap. XXI.
De magnis meritis patientiae pro Christo Cap. XXII.
De bonis moribus humilis monachi . . Cap. XXIII.
De provida locutione et fraterna compassione . . . . . Cap. XXIIII.
De incerta hora mortis . . . . . Cap. XXV.

De aeterna laude Dei . . . . . Cap. XXVI.
De laude sanctorum angelorum . . . . Cap. XXVII.
Oratio devoti amatoris Dei . . . . . Cap. XXVIII.
De unione cordis cum Deo habenda . . Cap. XXIX.
De vera pace in solo Deo . . . . . Cap. XXX.
De recta intentione ad Deum . . . . . Cap. XXXI.
Oratio humilis et contriti spiritus . . . Cap. XXXII.
De bona societate cum Iesu et sanctis eius Cap. XXXIII.
De summo bono et ultimo fine in solo Deo Cap. XXXIIII.

INCIPIT VALLIS LILIORVM AD LAVDEM DEI PRO SOLACIO TRIBVLATORVM.

DE TRIPLICI STATV VITAE HVMANAE.

CAPITVLVM I.

Ego flos campi: et lilium convallium.

Haec est vox Christi ad sanctam ecclesiam in generali: et ad quamlibet animam devotam in speciali. Christus enim est speciosus sponsus sanctae ecclesiae et caput omnium fidelium: flos omnium virtutum, et lilium convallium, amator humilitatis et castitatis. Qui ergo vult Christo servire et caelesti sponso placere: studeat vitia sua vincere, lilia virtutum colligere, otium vitare; libenter studere, libros scribere manibus operari quod utile est: frequenter orare, et Deo intime vacare; tumultus fugere, secretum diligere: et de alienis rebus et sibi

nocivis tacere. Habitus namque exterior parum valet sine interiore virtute coram Deo. Vas est foris ornatum: sed intus vacuum. Sicut ex bono vase vini bonus odor procedit: sic ex bono corde religiosi bona verba et sancta opera procedunt ad laudem Dei et utilitatem proximi. Attende ergo frater statum tuum in quo stas et coram hominibus ambulas; ut Deo digne placere studeas: et alios factis et moribus sanctis aedifices. Totum enim in te redundabit quitquid boni feceris: et quitquid mali coram Deo commiseris. Quando ergo comedis et bibis, dormis et quiescis, et ubicumque volueris pro libitu tuo transis; tunc facis opera carnis et assimilaris bestiis terrenis quae discurrunt comedunt et bibunt: et replent ventrem suum donec saturentur. Et si quis eis resistit illum stimulant cornibus et ungulis, terrent vultibus, et mordent dentibus, et clamant vocibus horrendis. Tales sunt carnales homines, gulosi avari, superbi iracundi et litigiosi: spiritum Dei non habentes sed passiones suas sequentes. Sed quando vigilas et oras legis et cantas psalmos et hymnos de Deo et sanctis eius: vel quando ieiunas et abstines a vitiis et proximo servis: aut pro peccatis tuis doles gemis et ploras, confiteris et veniam petis: tunc facis opera

Spiritus sancti et secundum spiritum ambulas et religiosae vitae ordinem servas. Tunc etiam sanctis angelis assimilaris in caelis; qui semper Deum laudant et cantant et benedicunt: et numquam faciem suam ab eo avertunt. Quando vero superbis irasceris detrahis, murmuras, fallis mentiris, alios perturbas, et de malis eorum gaudes et de bonis tristaris: aut quando proximum despicis, et commodum tuum in omnibus quaeris; tunc diabolum sequeris et daemonibus assimilaris: per malitiam et vitia quae committis. Nam ipsi passiones suas et nequitias sequuntur quantum possunt et audent facere; et in malis delectantur quia boni non sunt: et alios seducere et pervertere nituntur. Vita ergo iustorum angelis similis; vita carnalium bestiis aequalis: vita superborum daemonibus comparatur. Cave serve Dei ne laqueis eorum involvaris: et in iudicio ab eis accuseris et confundaris.

DE LAVDE DEI IN PAVPERTATE.

CAPITVLVM II.

Pauper et inops laudabunt nomen tuum Domine.

Quando sentis te aridum frigidum et tristem in orando meditando bona de

Deo: non debes propterea desperare nec desistere Iesum humiliter invocare; sed in paupertate spiritus tui Deum lauda et gratias age: et istum versiculum pro consolatione libenter lege. Pauper et inops laudabunt nomen tuum Domine, multi enim sancti et devoti fuerunt etiam quandoque aridi, et per longum tempus a Deo derelicti; ut discerent patientiam et aliis compati, per doloris et inopiae experientiam: et non praesumerent nimis de se ipsis in tempore devotionis et iubilationis. Lege etiam versum istum sequentem cum propheta in psalmo. Ego autem mendicus sum et pauper: et Dominus sollicitus est mei. In Domino confido: quia ipse virtus et salus mea. Verum est: nam omne bonum a Deo. Noli ergo praesumere cum laetus fueris: nec te deicere tristitia gravatus; sed sicut Domino placuerit in oculis suis: sic esto contentus in omnibus. Nil enim boni habes a te ipso, sed totum est a Deo. Cum gratia devotionis datur; sol de caelo lucet, et anima illuminatur et quasi in divitiis exultat. Sed miser deciperis: si praesumis et inflaris. Cum vero occulte subtrahitur gratia et ab ingrato tollitur; tunc vere pauper es et infirmus: et parum potes sustinere, et taedet orare. Sed hoc pro beneficio accipe, quod Deus te pau-

perem facit et humiliat cum electis suis: et percutit dorsum tuum filiorum virga pro excessibus tuis occultis et neglegentiis multis cotidianis; ut tibi ipsi vilescas et numquam alte de te sapias: sicut consulit sanctus Paulus ad Romanos. Noli inquit altum sapere: sed time. Magnum lucrum animae, de se viliter sentire et Deo omne bonum funditus ascribere.

DE PROBATIONE DEVOTORVM PER CONTRARIA.

CAPITVLVM III.

Audete iusti in Domino. In caelo semper est gaudium: in inferno semper est luctus; in mundo utrumque ad tempus: ad probandum homines bonos et malos. In aestate sunt dies clariores: et in hieme obscuriores. Sic est etiam cum anima devota, quando gratia Dei venit et eam illuminat; tunc multa abscondita cognoscit et intellegit: cantat et iubilat cum magna devotione quam sentit. Sed in tempore temptationis cum subtrahitur gratia devotionis; tunc est in hieme et frigore: in obscuritate intellectus et in pavore mentis. Tunc patientia est necessaria et Deo magis accepta; et crescunt virtutes per adversa: et augentur per patientiam aeterna prae-

mia. Humiliatur anima et purgatur per flagella; confunditur superbia: et evanescit vana gloria. Quamdiu vivit anima in corpore exercetur in utroque: pro profectu ampliore in Christi amore. Magna ergo ars magna virtus est: bene uti bonis et malis. Benedic ergo anima mea Domino in omni tempore: lauda Deum tuum Sion die ac nocte; et erit merces tua magna utrobique coram Deo in caelo et in terra, et omnia servient tibi prospera et adversa: bona et mala, laeta et tristia. Vnde apostolus Paulus ait. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: et nihil deerit timentibus eum. Beati qui in omnibus sequuntur voluntatem Dei.

DE VERO AMATORE DEI.

CAPITVLVM IIII.

Diligite Dominum omnes sancti eius pusilli et magni: quia pusillum et magnum ipse fecit.

Verus amator Dei amat pure Deum, scilicet Deum propter Deum et propter se solum fruendum; et non propter lucrum ab ipso habendum, nec propter aliquod proprium commodum; nec solacium aut praemium inde promerendum: sed totaliter et finaliter propter suam infinitam bonitatem et superexcellentem digni-

tatem. Ideo in laudem Dei psalmista frequenter dicit et repetit. Confitemini Domino quoniam bonus: et hoc dicere dulce est amanti. Sed dicere, quoniam in aeternum misericordia eius: dulcius sapit paenitenti et dolenti de peccatis suis. Ne ergo desperet homo fragilis in malis: additur saepe quoniam in aeternum misericordia eius. Ille autem amplius placet Deo; qui profundius se humiliat: et ferventius ipsum amat. Beatus qui se viliorem omnibus reputat: et cavet omne quod Deo displicere cognoscit. Beatus qui propter Deum et beneplacitum eius totum opus suum facit ex caritate cum pura intentione; et quidquid boni cogitat: hoc ad Dei honorem et laudem et gloriam integre refert. Beatus qui nil sibi retinet: sed totum Deo libere reddit quod a Deo accepit.

DE GRATITVDINE ANIMAE PRO OMNI BONO.

CAPITVLVM V.

Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen eius in idipsum.

Ille magnifice Deum laudat; qui de minimis etiam beneficiis gratias maximas agit: quia ille dat qui super omnia maximus est. Nil tibi parvum nec vile esse

debet quod Altissimus tibi ex gratia libere praestat. Non quaerit Deus nec exigit aliquid magis quam ut gratis ametur; et omnis offensa caveatur: atque gratitudo semper et ubique ei reddatur. Magnus coram Deo est: qui se ex vera humilitate spernit et substernit et omnibus bonis et beneficiis indignum se iudicat: nec in aliquo bono vane exultat nec laudem concupiscit. Maior tamen ille qui sicut Iob percussus contemptus conviciatus, depauperatus, neglectus, temptatus, afflictus derisus, et confusus gratias agit, laetatur et benedicit; et omnia gravamina et exilia sibi contingentia pro maximis lucris computat et propter Deum sustinet: et conqueri cessat. Beatus qui virgam doloris sicut Iob de manu Dei pie accipit: et totaliter voluntati divinae se offert et committit. Beatus qui hoc semper quaerit et eligit quod Deo magis placet: et pro deliciis vilia capit; et laesus laetior manet: et damnum temporale animae lucrum reputat.

DE CONFORMITATE ANIMAE DEVOTAE CVM CRVCIFIXO.

CAPITVLVM VI.

Vm ipso sum in tribulatione. Quid est hoc Domine? Expone mihi verbum istud quod dixisti; aperi

sensum huius versiculi: pro solacio servi tui. Audi fili. Quando es in tribulatione et cordis maerore: tunc es cum Iesu in cruce, et quando iterum consolaris in devotione et delectaris in hymnis et canticis divinis; tunc resurgis cum Iesu in novitate spiritus: et quasi a mortuis suscitaris de sepulchro alleluia laete canendo. Cum autem flexis genibus oras pro peccatis tuis et intime doles et ploras: tunc duris ictibus ante portam caeli pulsas. Cum vero omnia terrena iam neglegis et sola caelestia intus meditaris: tunc cum Iesu ad caelum pergis et angelis sociaris. Esto ergo mitis humilis et patiens in omni eventu et in firmitate irruente super te propter Deum: et porta crucem tuam patienter cum Iesu moriendo cotidie in cruce pro aeterna salute tua; quia omnis afflictio carnis patienter tolerata medicina est animae: et satisfactio pro peccatis, et spes futurae beatitudinis et gloriae. Amen.

DE AMBVLATIONE ANIMAE PVRAE CVM DEO.

CAPITVLVM VII.

Ambulate dum lucem habetis. Ille ambulat cum Deo in luce; qui nil cupit de hoc mundo habere: sed

habet cor suum fixum ad Deum in caelo. Nam ibi est thesaurus animae absconditus Dominus Iesus Christus: in quo omnia bona continentur. Semper miser est et eget quitquid habet: qui Deum amicum non habet. Ille Deum habet qui eum amat: et sermonem eius servat. Ille verbum Dei bene servat: qui otiosum verbum numquam profert; qui opere ostendit quod ore praedicat: qui propriam gloriam non quaerit; sed omnia bona quae facit et in aliis videt: pure ad gloriam Dei refert. Qui autem sibi placet stulto placet: et Deo displicet. Ideo in omnibus bonis quae agis et dicis Deo placere studeas: ut ampliora bona ab eo recipias. De bonis naturae quid gloriaris; cum sis mortalis a vermibus mox rodendus? Audi senem iuvenis rebus te distrahentibus; quia requiem non invenies nisi ad cor tuum redeas: et Deum super omnia bona quaeras et intime diligas.

DE PACE CORDIS ET QVIETE IN DEO.

CAPITVLVM VIII.

In pace factus est locus eius. Quis est in bona pace? Qui mitis est et humilis corde. Quid vis scire de statu aliorum qualiter sit cum

eis; et te ipsum neglegis in multis? Ecce qui melius scit se humiliare et pati propter Deum: hic melius est in pace. Huic omne onus fit leve: propter Deum quem habet in corde. Beatus qui loquitur cum Deo orando meditando cantando legendo: et de alienis tacet quae fiunt in mundo. Vbicumque es et transis vel fugis: cogitatio tua tecum transit. Bona meditatio laetificat, mala contristat; ira perturbat, invidia excaecat: odium necat. Devota lectio instruit; oratio accendit: operatio verbum implet. Sermo sanctus corda mundat; vanus maculat: otiosus scandalizat; durus gravat, pius placat: moralis aedificat; historialis fidem confirmat: caelestis ad aethera levat. Munda ergo cor tuum ab omni malitia: et eris in bona pace. Non est pax bona nisi in Deo et cum virtuoso: qui omnia bene agit propter Deum quem diligit. Mane in silentio: et sustine modicum propter Deum: et ipse liberabit te ab omni onere et inquietudine. Beata vita et bona conscientia dant fiduciam ad Deum in tribulatione et in morte: mala autem conscientia semper est in timore et in lite. Iracundus cito cadit de uno malo in aliud peius. Patiens et mitis de hoste facit amicum: et Deum inveniet sibi semper propitium propter pietatem erga peccantem.

DE RECOLLECTIONE CORDIS CVM DEO.

CAPITVLVM IX.

Qui non colligit mecum dispergit: ait Dominus noster Iesus Christus. Cum fueris multum dispersus et indevotus propter multiplices diaboli phantasias et amaras passiones cordis et hominum displicentias te inquietantes; stude te recolligere in secreto per orationem Dominicam et angelicam salutationem: et prosterne te solo tenus ante sanctam crucem vel beatae virginis Mariae imaginem; aut alicuius sancti devotam picturam: ad Dei honorem sanctorumque memoriam factam. Invoca praecipue Iesum et Mariam cum omnibus angelis et caeli civibus pro misericordia et gratia divinae consolationis tibi iterum reddenda: et dic cum sancto David in psalmo. Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. Domine spes mea a iuventute, ad te confugio in tribulatione mea. O Domine doce me semper sequi et facere voluntatem tuam: et relinquere meam. Quia hoc beneplacitum est tibi: et utile mihi pro salute animae meae. Domine numquam mihi contingat aliquid cogitare vel

desiderare aut operari quod displicet tibi; aut alteri nocet: sicut praecepisti mihi et omnibus servientibus tibi. Cum contrarium ago corrige me in misericordia tua: et non in ira perdas me. Quia Deus meus es tu et ego pauper et fragilis servus tuus gratia et misericordia tua in omnibus maxime egens. Sit nomen sanctum tuum nunc et in aeternum super omnia benedictum.

DE VIGILATIONE ET ORATIONE CONTRA TEMPTATIONES.

CAPITVLVM X.

Vigilate et orate: ut non intretis in temptationem, carnis vel spiritus vel diaboli vel mundi.

Caro suggerit concupiscentiam: spiritus superbiam; diabolus invidiam: mundus vanitatem. Christus autem e contrario docet; nam suadet servare castitatem, humilitatem, caritatem, et contemptum mundi: ad promerendum regnum Dei, et evadendum poenas inferni. Vigilandum igitur et orandum omni tempore: et in omni loco; quia nullibi securitas ab adversario maligno: qui non dormit nec quiescit a temptando; sed circuit et quaerit quem decipiat et mo-

lestet: et a bonis exercitiis impediat, et ab oratione cessare faciat. Ideo Dominus noster Iesus Christus sciens nequitias diaboli et utilitatem orationis, fortitudinem hostis et debilitatem hominis; admonet fortiter discipulos suos et omnes fideles vigilare et orare: si non velint ab hostibus suis id est vitiis superari. Vigilate igitur et orate ut non intretis in temptationem diaboli: nec ei consentiatis. Si non potes totum psalterium legere, lege unum psalmum; unum versum, unum devotum hymnum de Iesu de Maria: aut de aliquo sancto ad excitandum cor tuum sursum in Deum; per gemitum et vivae vocis oraculum. Prope est enim Deus omnibus invocantibus se cum humilitate. Nam humilis oratio iusti penetrat caelos; dat fiduciam ad Deum: et frangit diaboli consilium et vires minas et nugas. Si impediris foris ab hominibus; intra cubiculum tuum secundum Christi consilium: et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Ipse enim scit quid cogitas et desideras: et quid opus est tibi. Sic ergo in omni petitione ora. Pater fiat semper voluntas tua non mea: fac mecum sicut placitum est tibi et utile mihi. Si fueris cum aliis in choro: lege et canta cum eis sicut angelus coram Deo. Sic canta exterius ut compungaris

interius; sic placeas hominibus: ut non displiceas Deo et sanctis angelis eius. Deus enim magis attendit compunctionem cordis: quam clamorem altae vocis. Quia per humilem precem Deus placatur: per vanam gloriam offenditur. Per maeroris fletum gratia acquiritur et virtus augetur; per dissolutionis sonum devotio perditur: et pro omni culpa et neglegentia poena reddetur. A quibus malis divina pietas nos semper custodiat: et ad caelestia regna perducat. Amen.

DE TIMORE AETERNAE POENAE CONTRA VITIA CARNIS.

CAPITVLVM XI.

Onfige timore tuo carnes meas. Vtilis est haec oratio contra carnis vitia: et ad superbiam mentis deprimendam. Ista enim duo mala cotidie hominem impugnant et vexant; aut enim caro illicita concupiscit: aut spiritus de bono superbit et laudem quaerit. Vtrumque magnum malum: utrobique periculum grave. Cum te temptat caro misera cito moritura cogita aeterni ignis tormenta: et sic ignem concupiscentiae extingues igne gehennae; et motus maiores expellent minores: ut spiritus salvus fiat

per ignem. Brevis est omnis delectatio carnalis; fallax et vana omnis mundi laetitia: omnis decor corporis omnis honor et gloria. Sicut dolor capitis cogit dissolutum gemere et flere: sic timor mortis et ardor inferni faciunt passionatum et temptatum a peccatis abstinere. Qui sine timore est cito corruit in malum; et qui se non humiliat coram Deo et sanctis eius; confundetur in iudicio a daemonibus: et punietur durissime ab eis. Firma et vera sententia ista stat nec fallit; sive homo sive angelus sit: Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam. Misericordia autem Domini ab aeterno cum sanctis et electis suis usque in aeternum. Time ergo superbe iudicium Dei in omnibus factis tuis: et noli gloriari in vanis reputationibus tuis. Cum feceris totum quod poteris et debes; adhuc deficis in multis: et vix unum pro mille reddere vales. Time virgam Dei: time baculum, time iudicium futurum; nil transibit impunitum: nil erit in bonis irremuneratum. Si cella tua arderet; nonne timeres et cito surgeres et fugeres. Ecce quid facit timor et tremor et cogitatio de poenis futuris: quae nullis finientur temporibus. Expellunt namque teporem et inducunt orationis fervorem: propter nimium inferni horrorem.

DE MEMORIA DOMINICAE PASSIONIS CONTRA DISSOLVTOS.

CAPITVLVM XII.

Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

A quo? Certe a Christo in secreto cordis: non de hoc mundo in vanis rebus. Levia enim et iocosa verba et frequens risus non congruunt sacrae passioni Christi et amarissimis vulneribus eius. Si enim haberes unam acutam spinam de corona Iesu in capite tuo aut in dorso tuo transfixam; numquid rideres? Minime. Sed prae dolore magis flerem et alte clamarem. Si etiam unum clavum crucis in pede haberes; ubi ires et curreres? Nusquam utique irem nec currerem; sed magis sederem et dolerem: et per experientiam dolorum meorum Christo compati discerem. Et utinam amarissime possem flere; in remissionem omnium peccatorum meorum. O quam sanctus dolor et dulcis fletus: ex compassione sanctorum vulnerum Domini nostri Iesu Christi largiter effusus. Quando ergo gravaris aut temptaris aut infirmaris: recurre cito ad orationis scutum et sanctae crucis vexillum; et in sanctorum vulnerum Christi fixuris quaere vitiorum tuo-

rum salutiferam medicinam: per devotam orationem et seriosam passionis eius recordationem. Pondera sanctae crucis magnitudinem longitudinem et altitudinem: in qua Iesus Christus pependit nudus diris clavis pro te confixus. Numera attente quam multae acutae spinae in corona Domini fuerunt: quae sanctum verticem capitis Filii Dei tam acriter punxerunt et largissime cruentare fecerunt. Pone haec et cetera arma passionis Iesu Christi iuxta te pro bona custodia diei ac noctis; ne invidus hostis diabolus inveniat te vacuum a divinis imaginibus: et inquinet cor tuum sordidis picturis et urticis. Sit tibi proinde lectulus tuus sine plumis in memoriam sanctae nativitatis Domini nostri Iesu Christi, quasi angustum et pauperculum praesepe virtutibus plenum; in quo puer Iesus vagiebat in cunabulo pannis involutus: modico faeno pro serico pallio tectus, parvoque lacte matris virginis refectus. Sit duritia et vilitas culcitrae tuae recordatio quaedam duri et lapidei sepulchri Domini nostri Iesu Christi pro te crucifixi: et vere mortui, et in corde terrae sepulti ac grandi lapide clausi. Hic ergo in pace Christi quiesce omnibus oblitis quae sunt in mundo: omnia reputans vilia et pro nihilo quae magna videntur et iucunda; ut cum eo

resurgas nunc in virtutibus et gratia: et in novissimo die cum electis in gloria sempiterna. Amen.

DE INVOCATIONE SANCTI NOMINIS IESV ET BEATAE MARIAE VIRGINIS MATRIS EIVS.

CAPITVLVM XIII.

Dirige Domine Deus meus: in conspectu tuo viam meam.

Viae tuae Domine Iesu Christe viae pulchrae viae mundae et securae: ad ambulandum in eis recte et perfecte. Et omnes semitae tuae pacificae et sanctae: ad perducendum omnes fideles tuos et humiles corde in regnum tuum caeleste. Vbicumque ergo pergis ambulas stas et resides; invoca Iesum et Mariam piam matrem eius: et hunc sanctum versiculum libenter pro conductu viae lege. Dirige Domine Deus meus: in conspectu tuo viam meam. Deinde consimiliter istum adde. Perfice pie Iesu gressus meos in semitis tuis; ut non moveantur vestigia mea ad videndum vana: et loquendum otiosa animae meae nociva. Post haec etiam hunc dulcem versiculum pro viatico ciborum assume; et quasi baculum in manu firmiter tene: et saepe

orans devote lege. Iesus et Maria sint mecum semper in via: in omni loco et in omni tempore pro bona custodia; ne forte per devia errem: et dispergar per multa phantasmata intus et extra. Haec sancta oratio Iesus et Maria brevis est ad legendum levis ad portandum, facilis ad tenendum; dulcis ad cogitandum, fortis ad protegendum: fidelis ad custodiendum, socialis ad ambulandum; delectabilis ad recreandum, amicabilis ad consolandum, potens ad adiuvandum: prudens ad perducendum recto itinere omnem pauperem peregrinum et saeculi contemptorem ad vitam aeternam. Haec sancta oratio habet secum meliores comites et potentiores milites prae omnibus regibus et principibus mundi: et altiores sanctos prae omnibus sanctis in caelo et in terra. Haec sancta oratio trahit ad se in fervore spiritus totam caelestem curiam; quae sequitur cum omni reverentia Dominum suum Iesum Christum et dominam suam sanctam Mariam matrem Iesu benedictam: omni laude dignissimam ab omnibus honorandam. Qui istos pro sociis secum habet in via huius vitae: etiam pios patronos inveniet mortis tempore. Noli iam Iesum deserere: si cupis cum Iesu et Maria semper vivere et gaudere. Bene ergo et secure ambulat: qui Iesum

et Mariam in corde portat; ore saepe nominat, labiis benedicit: manibus plaudit, pedibus tripudiat; voce clamat, corde iubilat: oculis plorat, vultu suspirat; osculis placat, bracchiis amplectitur: et flexis genibus adorat. Beatus qui Iesum et Mariam sedule invocat, devote salutat; amorose commemorat eximie honorat: laetissime collaudat, altissime glorificat; ardentissime amat, suavissime eructat: iucundissime celebrat et cantat. O quam dulcis est Iesus: et quam dulcis sancta Maria dilecta mater eius. Beatus peregrinus qui in omni loco et tempore exilii sui in corpore meminit patriae caelestis: ubi Iesus et Maria gaudent pariter cum omnibus angelis et sanctis suis in maxima laetitia et aeterna gloria. Beatus peregrinus qui non quaerit mansionem in mundo: sed cupit dissolvi et esse cum Christo in caelis. Beatus pauper et mendicus qui cotidie transit pro pane caeli: et donec accipiat unam micam non cessat supplicare humiliter ante Dei mensam. Beatus qui vocatur ad cenam agni: et donec perveniat ad convivium supernum accipit eius sacramentum. Quotiens enim aliquis devote communicat, aut sacerdos ad honorem Dei reverenter et devote celebrat: totiens cum benedicto Iesu et benedicta matre sua spiritualiter

manducat et bibit. Iste est discipulus Iesu capellanus beatae Mariae virginis socius angelorum, concivis apostolorum: domesticus Dei; cognatus sanctorum: amicus caeli. Hic turbas fugit, fabulas vitat; verba Iesu cogitat, et cor suum cum ceteris sensibus suis sollicite custodit: ne Iesum et Mariam et omnes sanctos offendat. Hic accipiet benedictionem et misericordiam a Domino Iesu salutari suo; et quam cito ad eum clamaverit exaudiet eum de caelo sancto suo: in quocumque loco fuerit et periculo. Nam cum discipuli in mari navigarent et prae timore submergendi Iesum invocarent: statim ipse Iesus affuit et dixit. Quid timidi estis? Habete fiduciam; ego sum: nolite timere. Vox enim Iesu vox dulcis ad consolandum; fortis ad protegendum: iucunda ad laetificandum; benigna ad indulgendum: gratiosa ad tribuendum vitam aeternam. Amen.

DE FORTI CERTAMINE CONTRA VITIA PER EXEMPLA SANCTORVM.

CAPITVLVM XIIII.

Viriliter agite: et confortetur cor vestrum.

Sicut per passionem et crucem Iesu

et sanctorum martyrum poenas discimus adversa tolerare: sic etiam per beatam virginem Mariam et per omnes sanctas virgines viduas et continentes discimus carnalia vitia vincere; divitias contemnere, honores fugere: et per contemptum omnium mundanorum caelestia quaerere et amare. O serve Dei stude virorum fortium patientiam insuperabilem sequi, diabolo et consilio eius resistere et per debilium puellarum constantiam virginalem omnia delectabilia carnis cum ceteris vitiis longe a te proicere et spernere. Si bona temporalia Deus dederit pro sua clementia paupertati tuae noli inde miser extolli; noli stulte cor apponere: quia nescis quamdiu hic eris et istis frueris. Noli longam optare vitam sed bonam; quia melior est bona conscientia: quam omnes thesauri mundi. Quanto enim plus habueris de rebus terrenis: tanto districtius inde iudicaberis. Heu fallax gratia et brevis gloria mundi, in divitiis honoribus praelaturis et deliciis huius vitae gaudere; post quae sequuntur maximi dolores et fletus cum diabolo semper ardere: ubi nulla est redemptio a poenis eorum. Sed o quam magna iucunditas electorum cum angelis semper laetari: ubi summa felicitas omnium bonorum cum Deo et sanctis eius sine fine durabit.

O quam felices viri et prudentes virgines; qui omnia propter Christum reliquerunt: et per artam viam ad aeternam patriam pervenire studuerunt. Scitote ergo omnes fideles et devoti servi Iesu Christi: quia oportet vos contra varias temptationes carnales et spirituales pugnare, vigilare, orare, ieiunare, et laborare quamdiu vivitis. Oportet carnem castigare ne intumescat et concupiscat contra spiritum: et ne decipiat et praevaleat contra animam trahendo ipsam in gehennam. Quid prodest hic carnem delicate nutrire; et postea in inferno gravissime torqueri? Et quid iuvat hic laudari et honorari ab hominibus; et in futuro confundi et condemnari cum impiis et daemonibus? In mundo doctor et magnus reputari; et in numero electorum non computari: maxima confusio et derisio est coram Deo et omnibus sanctis eius. Pro Christo autem pati et vilipendi a malivolis: maximus honor laus et gloria apud Deum et omnes sanctos. Hinc ipse ait discipulis suis: et consolatur ubique omnes fideles pro nomine eius iniuriam et pressuram patientes. Beati eritis cum vos oderint homines et exprobraverint propter nomen meum; gaudete et exultate: ecce enim merces vestra multa est in caelis. Amen.

DE STABILITATE IN LOCO ET IN ORDINE.

CAPITVLVM XV.

Stabiles estote in opere Domini semper.

Dic mihi bone frater quid utilitatis et sanctitatis tibi confert hinc inde discurrere et multa ubique videre et audire; et ad regnum caelorum non posse pervenire? Beatus qui ab omni evagatione cor suum et corpus custodit: et cito ad se ipsum cum gemitu redit et veniam petit. Vae tibi qui saepe foris evagaris: et tempus infructuose expendis et alios scandalizas. Pax multa libenter in cella manenti: Deo in secreto vacanti, saepe oranti; sacros libros scribenti, scripturas studiose legenti: ac sanctis meditationibus affectuose insistenti. Otiosus et fabulosus multa correptione dignus et a communi colloquio separandus; ne forte simplices et pusillos inficiat: et vanis verbis ac moribus perversis scandalizet ac perturbet. Time dissolute et iocose futura ignis purgatorii tormenta: ubi pro quolibet levi et otioso verbo et cogitatu maligno patieris a daemonibus durissima verbera. Multo melius est ergo modo timere et cavere paenitere et flere: quam in futuro cum impiis sine fine torqueri

et a daemonibus fustigari. Certe non est risus et iocus in inferno semper ardere: unde nullo auxilio poteris liberari. Si quis ista frequenter pensaret et stricte ponderaret: omnia mundana cito contemneret et omnia delectamenta carnis abhorreret; ut aeternas poenas evaderet: et ad caelestia gaudia post mortem perveniret. Sed vae eis modo et amplius in futuro: qui divina iudicia modicum attendunt; et fere omnia pro levibus ducunt: quia poenas illas in corpore non sunt experti.

DE DIVINO SOLACIO IN TRIBVLATIONE PRO CHRISTO.

CAPITVLVM XVI.

IN mundo pressuram habebitis: sed confidite ego vici mundum.

Dicitur in proverbiis a multis: solacium est miseris socium habere in poenis. Quis est iste socius tam bonus et pius; qui scit compati miseris et infirmis? Iste est Dominus noster Iesus Christus pro nobis passus et crucifixus; qui in evangelio dicit se medicum et pastorem esse animarum: et consolatorem tribulatorum pauperum, et infirmorum lapsorum et vulneratorum. Non est inquit opus sanis

medicus: sed male habentibus. Et similiter de eodem loquitur sanctus David: ita consolando tristes. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Et iterum in alio psalmo de quolibet temptato et tribulato ne desperet: ita per se ipsum loquitur Deus dicens. Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum. Est enim vere magna consolatio tristibus et variis modis afflictis: quia Christus fuit etiam temptatus tristis et in multis doloribus pro nobis afflictus. Nisi enim esset utile et salubre animae nostrae pati et tribulari in mundo; non permitteret hoc Deus fieri: qui est summe bonus et iustus in omnibus viis suis. Qui ergo proprio Filio suo non pepercit a flagellis; tu quis es qui audes contradicere verberibus eius, reus in multis peccatis? Iustum est enim ut servus malus et inutilis non contradicat Domino suo percussus saltem in modico quando Filius in omnibus dilectus et in nullo culpabilis tantis plagis fuit percussus. Iustum etiam est ut de eodem calice aegrotus sanandus modicum breviter bibat: de quo medicus sanus totum amaritudinis poculum sibi oblatum bibit; ut totum mortis venenum purgaret: et hominem in anima et corpore necatum perfecte sanaret et ab aeterna morte liberaret. Alleviatur

igitur multum onus servi: in consideratione gravioris ponderis innocentis Domini sui. Mitigatur valde dolor languentis, si diligenter pensat quoniam haec afflictio pie tolerata est purgatio pro peccatis: et spes aeternae salutis. Magnum namque et honorificum est pauperi servo si ipse fuerit Domini sui panno eodem vestitus, et purpura Filii Regis insignitus: cum qua meretur ad Regis aeterni nuptias introire. Panni Iesu sunt humilitas cordis, paupertas in necessariis: patientia in adversis, perseverantia in virtutibus. Qui virgam Dei pro munere accipit; salutem animae ex verbere reportat: et coronam amplioris gloriae in caelo recipiet. Beatus qui intellegit super egenum et pauperem Iesum pro nobis nudum et inopem factum cum esset ditissimus omnium: et sequitur eum patienter ferendo crucem suam in cotidianis laboribus pro salute animae suae usque ad mortem.

DE CVSTODIA CONSCIENTIAE IN OMNI LOCO ET TEMPORE.

CAPITVLVM XVII.

Anima mea in manibus meis semper. Nihil utilius et salubrius cupienti ad vitam aeternam pervenire: quam sem-

per cogitare de animae suae salute. Lege et percurre omnia: non est salus animae nisi in Deo et in bona vita. Hinc ait Dominus et redemptor animarum discipulis suis. Quid prodest homini si mundum universum lucretur; animae vero suae detrimentum patiatur? Qui istud frequenter cogitat et magis de animae suae salute curam gerit quam de temporali lucro vel corporali cibo; hic vere sapiens negotiator est: quia aeterna et spiritualia omnibus perituris praeponit et quaerit. Iste est unus de bonis et fidelibus Christi servis: qui de duobus talentis quatuor, et de quinque decem facit; et unum non abscondit in terra nec defodit nec a se proicit, nec contemnit, sed pauperi potius tribuit ut pro se oret: aut ad altare Deo offert regratiando sibi etiam pro minimo dono quod accepit. Beatus servus super pauca fidelis et prudens, qui omnia tempora sua utiliter expendit: et de extraneis rebus ad se non pertinentibus tacet; sed tamquam surdus et mutus propter Deum factus pacifice tumultus saeculi pertransit: et animam suam ante se in manibus suis semper portat. Noli ergo de statu aliorum curiose quaerere: nisi quantum caritas Dei et fraterna compassio exigit. Noli laudes hominum appetere quae vanae sunt: nec

vituperia expavescere quae non obsunt; sed animam purgant et humiliant: et in caelo alte coronant. Nemo dignus est a Deo sublimari: nisi qui scit pro Deo vituperia pati. Sicut enim tu Domine Deus passus es pro me: ita et ego debeo pati pro te et sequi pro posse. Tu enim sancto Petro dixisti: sequere me. Sed heu mihi Domine: quia tam parum possum pati pro te. Saepe propono: et de decem vix unum perficio. Multa sunt verba: sed opera pauca. Totum est culpa mea: et excusatio nulla. Nam desidia et neglegentia propria: augent peccata mea. Quid ergo restat ad ista dicere et cogitare; nisi veniam petere et orare? Peccavi Domine: miserere mei. Sic enim omnes sancti ante te fecerunt et docuerunt: et adhuc cotidie omnes fideles faciunt. O omnes sancti et amici Dei orate pro me: quia infirmus sum et omnibus bonis indigeo, et ab omnibus iuvari humiliter peto.

ORATIO PAVPERIS.

Sancte sanctorum Domine Deus meus: inclina aurem tuam ad precem pauperis servi tui. Adiuva me et salvus ero: et meditabor in iustificationibus tuis semper. O utinam merear unus

de pusillis gregis tui esse in regno tuo quod praeparasti humilibus et diligentibus te. Diligam ergo te: Domine virtus mea ex toto corde meo: sicut praecepisti ore sancto tuo. Tu spes mea et salus mea et totum desiderium meum. Da mihi intellectum clarum contra omnem errorem; cor mundum contra omnem impuritatem: fidem rectam contra omnem dubitationem; spem firmam contra omnem diffidentiam: caritatem ferventem contra omnem acediam et neglegentiam; magnam patientiam contra omnem turbationem: sanctam meditationem contra turpem imaginationem; continuam orationem contra diaboli impugnationem: diligentem attentionem ad lectionem contra frequentem mentis evagationem; bonam occupationem contra cordis taedium et somnolentiam; devotam sacrae passionis tuae recordationem contra omnium vitiorum mortificationem. Adesto mihi in his bonis Deus meus: et confirma me in omnibus verbis sanctis tuis. Amen.

DE SOLITVDINE ET SILENTIO.

CAPITVLVM XVIII.

Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.

Quare? Propter multa bona inde pro-

venientia: et ad cavendum distractiones cordis mei in multis rebus visis et auditis; quia quae oculus non videt nec auris audit cor non dolet nec cito turbatur. Igitur latere et tacere bonum est pro pace cordis: et optentu devotae orationis. Ad haec iuvant locus secretus: et recessus a turbis ubi non est strepitus. Sicut enim piscis extra aquam cito moritur: ita monachus extra cellam leviter distrahitur et inquinatur. Nam prudens apes mel ex floribus colligens statim inde evolat et secretum gaudens repetit; et hoc in alveario caute abscondit: ut habeat unde in hieme latenter vivat. Ideo enim suavitatem odoris abscondit: ne foris vagando fructum laboris sui iterum perdat. Nam pretiosa aromata: in pyxide clausa fortius flagrant: aperta et ostensa virtutem odoris citius amittunt. Flores quoque manibus attacti laeduntur; intra saepta pomerii clausi servantur: et muris altis firmati tutantur. Crescunt rosae in hortis clausae secure: arescunt et calcantur pedibus in viis proiectae. Sic vagus et instabilis monachus vilescit saepe foris visus: fugiens autem turbas et manens intus reputatur sanctus. Candela ardens a vento cito extinguitur in lucerna latens custoditur. Sic fervor devotionis in secretario cubiculi tutius servatur: et

in negotiis externis facilius dissipatur. Igitur cellam et silentium dilige: si vis devotus et pacificus intus permanere. Oportet quod valde fortis sit et custoditus: qui foris inter homines ambulat et interius non impeditur nocivis. Maneas ergo libenter in solitudine et in cella devotionis causa; sicut beata virgo Maria mansit sola in cubiculo clausa: loquens cum sancto angelo sibi misso a Deo de caelo; ut etiam ad te veniat sanctus angelus Domini nuntius caelestis et custos animae tuae fidelis: et recedat a te longius spiritus malignus cum omnibus phantasiis suis. Dixit quidam devotus silentii amator. Raro loquor diu hominibus: sine aliqua laesione conscientiae intus. Et alius quidam. Oportet, quod sit valde aedificabile verbum: quod emendet silentium. Et tertius ait: Nobile est verbum: in suo tempore dictum. Et quartus adiecit. Qui os suum firmiter claudit: non detrahit nec mentitur. O quam laudabile et iucundum loquentis verbum: nil mali, nil vani, nil doli, nil falsi habens admixtum. Multi multa loquuntur: sed non sine periculo linguae pronae ad malum. Pax igitur multa custodienti os suum: et manenti in cella, et saepe oranti.

Lauda quoque taciturnum virtuosum, increpa vagum verbosum; cave dolosum,

fuge tumultum: dilige secretum, sequere humilem et devotum; sustine patienter tibi molestum: propter Christum pro te crucifixum. Frater interrogavit senem. Quod est statutum in ordine pro pace et devotione magis proficuum? Respondit notabile verbum. Servare a patribus silentium statutum: vitare tumultus hominum et otium. Haec tria in ordine valde necessaria: Deo et angelis accepta; scilicet laborare manu contra otium; amare lectionis studium contra cordis taedium: et continuare orationis usum contra diaboli dolum. Haec laudant sancti patres antiqui et novi; quia frater tacens et Deo vacans ab ipso caelitus benedicitur: et ad contemplanda divina secreta aptior invenitur et altius illustratur. Vagus vero et fabulosus qui otiose circuit donis caelestibus indignus efficitur: et aliis est molestus. Nescit superbus diu tacere: quia cupit doctus videri et prae aliis laudari. Qui praesumptuose loquitur a multis vituperatur; qui autem verecunde tacuerit gratiam ab astantibus meretur. Magna humilitas cordis sentire de se ipso vilia: et de aliis semper meliora. Grandis superbia abundare in sensu suo: et stare in propria voluntate Deo et communitati fratrum contraria. Haec est lepra pessima quam odit Deus: et percutit saepe

subitanea morte. Simplex et innocens humiliter oboediens: ubique laetus et securus. Laudabilis fama habere pauca verba; cavere levia loqui utilia: et omnia agere cum modestia. Omnibus adde modum modus est pulcherrima virtus. Et hoc est quod ait Christus. Habete sal in vobis: et pacem habete inter vos. Et Paulus apostolus. Omnis sermo vester sale conditus sit. Et sanctus Iob. Quomodo potest comedi; quod non est sale conditum? Castus et pudicus custodit cor suum, os suum et omnes sensus suos pronos semper in malum: ut non peccet et Deum ac proximum offendat. Non est corde compunctus: qui vana libenter audit et recitat coram aliis. Perdit cito compunctionis gratiam: qui non custodit cordis et oris ianuam. Monachus pronus ad loquendum: facile excedit loquendi mensuram. Si haberes Iesum crucifixum in corde tuo fixum: non exiret tam cito de ore tuo verbum vanum et otiosum. Sed quia non habes Iesum firmiter in corde tuo clausum; ideo saepe quaeris solacium forinsecum debile et frivolum: parum iuvans intus a doloribus premen-tibus cor tuum. Solus enim Iesus praestat verum animae solacium: et sanat omnes languores vitiorum. In brevi momento et unico verbo: potest liberare

dolentem ab omni malo. Nam amplior est gratia Dei in bono: quam culpa in malo. Cur audis vanos rumores saeculi; qui saepe te conturbant et distrahunt in corde? Quare neglegis dulces sermones Christi; qui te consolari possunt et confortare in omni tribulatione tua die ac nocte?

DE REFVGIO PAVPERIS AD DEVM ADIVTOREM SVVM.

CAPITVLVM XIX.

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.

Beatus ille pauper cui Deus est adiutor in omni tribulatione sua: consolator in angustia unica spes et confidentia in extremis: corona gloriae in regno aeternae beatitudinis. Pretiosa virtus voluntaria paupertas assumpta pro Christo: cuius merces aeterna permanet cum angelis in caelo; ubi fur non appropiat ad furandum: nec raptor ad praedandum, neque latro ad occidendum. In multis periculis et curis cotidianis sunt divites huius saeculi a quibus liber est servus Christi renuntians omnibus quae sunt mundi. Magna libertas animae fidelis quae nil proprietatis habet in aliqua re mundi

propter regnum Dei et amorem Iesu Christi: sed omnia possidet in Christo pro nobis pauper et dolens facto. Qui pendens nudus in cruce non habuit ubi caput suum reclinaret: vel manum aut pedem usquam moveret. Quis huic pauperi in omnibus indigentiis similis? Vere nullus. Propter hoc exaltatum est nomen eius solius super omnia in caelo et in terra: et super omnia benedictum in saecula. O bona pauperies: nisi te Deus ante tulisset; tunc tua miseries: cunctis ingrata fuisset. Felix paupertas rerum quae tollit superbiam oculorum: et occasionem multorum vitiorum, vere ille est pauper spiritu qui de nullo verbo et facto bono superbit, nec in altiore gradu esse cupit ne gravius cadat. O quam magna virtus abdicata paupertas nil habens in proprio; quae animae aperit caeli portam: auget gloriae coronam; et cum martyribus meretur accipere patientiae palmam post huius vitae angustiam: in Christi servitio consummatam. Nam hoc est veraciter et fideliter Christo servire: pro eius amore penuriam et alia multa incommoda sustinere. Beatus qui de necessitate et infirmitate sua facit virtutem: et de omni quod patitur sequitur Dei voluntatem. Noli ergo pauper nimis contristari cum inopiam pateris; nec indignari si derideris:

aut ab amicis tuis relinqueris. Converte cor tuum ad Christum pauperem pro te factum et infirmum; quaere solacium tuum a Deo et in Deo solo: si optas semper esse in gaudio. Nam omnia alia solacia foris quaesita nulla sunt: nec durant nec sufficiunt quantumcumque videntur magna. Elige itaque Iesum Christum Dei filium in specialem amicum et cognatum tuum: reliquos omnes relinque propter ipsum. Cave omnem socium volentem te impedire a sancto servitio Christi: et trahere ad saeculum et portas inferni. Lata est enim via quae ducit ad inferos: et multi sunt qui intrant per eam ait Iesus Christus. Solus ipse sufficit ad perfectum solacium habendum: qui potest dare regnum caelorum omnibus relinquentibus regnum mundi et omnem ornatum eius. Transit enim mundus et concupiscentia eius: tamquam fumus venti et flos agri arescens. Sta ergo frater paupercule firmissime in bono proposito semper serviendi Deo: et permane cum fratribus tuis die ac nocte in laboribus multis in loco isto quem propter Deum primitus elegisti; et parentes ac cognatos sponte reliquisti et integre te Deo optulisti: ut etiam cum eis maxime congaudeas in regno Christi et omnibus sanctis. Nam pro parvo labore et brevi dolore in mundo:

reddetur tibi aeterna requies in caelo. Recogita sedule sacra vulnera Christi, et acerba ulcera pauperis Lazari: et proderit tibi in agone quando debes mori et de hoc mundo transire.

DE PAVPERE ET INFIRMO LAZARO.

CAPITVLVM XX.

Ego sum pauper et dolens: Deus adiuva me.

Haec vox pauperis et infirmi: ad Deum suspirantis pro regno Dei. O pauper et infirme, sustine patienter per modicum tempus dolores corporis, et penuriam in cibis et vestibus: quia non diu hic eris et dolebis. Gratias age Deo; quia levius est modo flagellari cum pauperibus et debilibus: quam postea cruciari in inferno cum fortibus et divitibus. Recordare malorum tuorum praeteritorum quibus Deum et proximum saepe offendisti; et sustine virgam Domini in remissionem peccatorum tuorum: de quibus non plene paenituisti nec satisfecisti. Memento etiam pro consolatione tua omnium gravium dolorum et sanctorum vulnerum Christi: quia multa et graviora ipse flagella pro te sustinuit. Memento quoque pro alleviatione tua pauperis et

ulcerosi Lazari post mortem in sinum Abrahae laete recepti; et pavesce finem delicati divitis post convivia sua in infernum sepulti: unde numquam poterit liberari. Vide nunc quid potius eligendum sit tibi, an pati modicum et egere cum Lazaro infirmo, et gaudere semper cum Christo; an deliciari breviter superflue cum divite sano et subito mori et sepeliri in inferno et ardere iugiter cum diabolo? Intellegenti satis dictum est paucis verbis. Beatus qui intellegit et emendat se tempestive de omnibus malis suis ne damnetur cum impiis: duris verberibus cruciandus. Quem enim modo sacra verba non compungunt nec corrigunt; postea saeva verbera sine fructu lacerabunt: nec umquam torquere cessabunt. Ab his malis liber est Lazarus pauper et infirmus: ab angelis sanctis in sinum Abrahae laetissime portatus. Audi adhuc multa beneficia Dei huic pauperi Lazaro misericorditer ostensa. Non habuit ut aestimo amicos divites se visitantes; nec aliquos servos aut socios sibi servientes: sed sicut dicit Iesus, canes ad eum veniebant, et lingebant ulcera eius. Ipsi soli in tanta miseria pro solacio sunt relicti. Et quid miserabilius quam hominem humano solacio destitui; et bestiis consolandum relinqui? Nec tamen

ex ore pauperis impatientiae sonuit aut vox murmuris: sed potius gratiarum actio et vox laudis. Sed cui negabat humana impietas solacium: brutorum feritas mansuete exhibuit obsequium. Tu ergo infirme ne murmuraveris si ad horam insolatus relinquaris et infirmitatum stimulis agiteris: sed cogita tibi ex divina misericordia dispensante id evenire: ut hic sectus hic ustus non pereas. Ipse forte in minutissimis peccatis: tu autem in gravissimis crebrius offendisti. Patienter ergo dolores infirmitatum sustine; et te derelictum interdum ab hominibus gaude: ut cum Lazaro merearis caelestis regni ianuam introire.

DE CLARO INTELLECTV SACRAE SCRIPTVRAE.

CAPITVLVM XXI.

Declaratio sermonum tuorum illuminat: et intellectum dat parvulis.

Quaecumque in lege veteri et nova scripta sunt ad doctrinam animae nostrae scripta sunt: ut Deo fideliter serviamus odiendo malum et adhaerendo Deo summo bono corde puro integro et perfecto hic et in futuro. Quae igitur ignoras humiliter quaere: et quae non bene intellegis pete

reverenter a doctoribus tibi declarari. Nam declaratio sermonum Dei illuminat corda parvulorum. Si non potes adhuc altiora capere; tunc parva cum parvulis disce: sicut Dominus Iesus dicit. Sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum caelorum. Quae ergo intellectum tuum excedunt noli temere perscrutari: sed omnia haec Spiritui sancto committe, et firmiter vera esse crede; quia Spiritus sanctus doctor est omnis veritatis: et non potest testis esse falsitatis. Quod multi habent multa dubia non est culpa nec vitium sacrae scripturae; sed caecitas mentis eorum et neglegentia studii in sacris libris: qui continent aeternae salutis necessaria documenta. Igitur canonicas scripturas libenter lege; et expositiones doctorum cum diligentia adverte: et intellegere stude. Nec tamen propter diligentiam studii: est ab oratione et missarum celebratione cessandum. Saepe enim in oratione et in missa multa secreta devotis panduntur: quae pomposis et curiosis scrutatoribus occultantur. Prodest autem valde parvulis et rudibus cum simplicia verba eis proponuntur; nocent vero subtilia: attamen iuvant si obscura dicta explanantur. Et qui diligenter ad lectiones in choro et refectorio advertunt; et cautius perscrutantur quid intrinsecus

verba historiae continent: pascuntur favo mellis ex omni verbo Dei quod audiunt et legunt. Vnde quamdiu homo corpore mortali vivit semper magis addiscere potest: et ad altiora capienda proficere; sed ad claram intellegentiam angelorum et beatorum visionem non attinget: donec ad aeternae beatitudinis gloriam Christo auxiliante perveniat. Solidus et fortis cibus nocet parvulis et infirmis: mollis cibus et tenuis potus nutrit infantes. Simplicia organa et moderata cantica dulcius saepe resonant et laetificant: alti clamores quasi dura tonitrua debiles animos magis terrent quam recreant. Crebra fulmina excaecant oculos: lux in laterna conservat aciem visus. Profunda flumina submergunt incaute natantes: per pontem transeuntes evadunt pericula aquae securius. Saepe per iter planum agnus liber transit, ubi bos fortis cadit et rapitur ligatur et mactatur. Sic simpliciter credens et humiliter oboediens gratiam invenit: et sibi confidens perdit quod habet. Alta extollunt leviter superbos: et in fine confundunt gloriantes. Vidi simplices in oratione ex devotione flere: et alte clamantes et discantantes nil tale in corde sentire. Quare hoc accidit? Quia simplex et humilis Deo placere studet: in omni quod agit et loquitur. Vox

simplicis cordis apud Deum in caelo: vox vagi cordis et dissoluti cantoris coram hominibus in vicis et plateis civitatis. Qui sensum psalmorum seriose attendit et morose legit et cantat: magnam devotionis dulcedinem concipit. Vere enim suavis est Dominus rectis corde: qui gloriam eius quaerunt non propriam laudem. Benedictus sermo ex ore loquentis et cantantis: unde compungitur cor audientis. Gallus antequam cantet prius se ipsum alis suis verberat et excitat; sic bonus frater et devotus orator se primitus corrigere debet: antequam alium increpet. Ille bene et prudenter docet; qui a se ipso incipit et primo emendat: quod in aliis notat et reprehendit. Sic sanctus Paulus alios instruens: humiliter se peccatorem prae aliis nominat dicens. Quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere; quorum primus ego sum: qui non sum dignus vocari apostolus. Et quare o sanctissime Paule? Quia persecutus sum ecclesiam Dei. Vnde ergo sanctus et vas electionis vere digne glorificandus? Non ex me ipso, non ab hominibus: sed per vocationem et revelationem Iesu Christi; a quo didici mitis et humilis esse: et evangelio eius oboedire. Nihil boni mihi attribuo: sed quicquid egi et docui hoc totum principaliter

ascribo: qui me vocavit per gratiam suam ad fidem quam praedico et servo usque ad mortem. Nam sola gratia Dei sum id quod sum: et gratia eius in me vacua non fuit; sed semper in me manet et manebit: donec perveniam ad eum qui me pretioso sanguine suo redemit et salvavit.

DE MAGNIS MERITIS PATIENTIAE PRO CHRISTO.

CAPITVLVM XXII.

IN patientia vestra possidebitis animas vestras.

Quando ergo aliquis dure tibi loquitur aut iniuste te increpaverit: non statim irascaris nec dure respondeas; sed tace aut humiliter loquere: et sustine patienter sicut fecit Iesus. Nam accusatus a multis tacuit: et flagellatus non murmuravit. Aut si opus est loqui et prosit; tunc responde benigne et doce prudenter: sicut Christus dura alapa percussus respondit servo pontificis verbis rectis et mansuetis. Sic enim alios magis aedificas: et te ipsum a confusione liberas. In omni eventu rerum et contradictione linguarum pravarum tene patientiam: et tace pie ad obiecta. Attende profectum animae tuae

in omnibus, quam magni meriti sit patientiae virtus; quae ornat animam virtutibus: et ducit ad palmam cum martyribus. Hanc Christus docuit: et factis in passione exemplificavit. Cum enim accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus populi: nihil respondit. Implevit opere quod dixit sermone. Discite a me quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Non invenitur alicubi requies vera et pax secura; nisi in solo Deo, in vera humilitate et benigna patientia: in qua vincuntur omnia adversa. Sit ergo in Deo tota spes tua; non in aliqua creatura parva vel magna: quia sine Deo omnia vana, et cum Deo omnia bona.

DE BONIS MORIBVS HVMILIS MONACHI.

CAPITVLVM XXIII.

Fvge dilecte mi fuge. Quare? Propter multa pericula mundi: quae saepe homini contingunt qui in saeculo conversatur. Nam qui Deo vacare appetit libenter solus est et orat, studet et scribit; et sic per multa bona exercitia a vitiorum periculis custoditur: et tempus suum fructuose ex-

pendit et alios aedificat. Qui autem libenter foris ambulat et hinc inde fabulari desiderat: raro est quin cor suum maculat et indevotior ad cellam pacis amicam redit. Sermo pius et modestus cunctis acceptus: durus et inconsideratus offendit amicos. Qui verax est vera loquitur: et qui fictis verbis alium decipit odietur. Verus humilis de bonis operibus laudes non quaerit: sed omnia bona Deo ascribit et mala sibi. Qui mendacium ore profert Christum a corde fugat: et qui alta quaerit se ipsum confundit et iuste decipitur. Qui plane et recte loquitur: ab omnibus honoratur et amatur. Omnes fratres sumus ab uno Deo creati; omnes peccatores ex parentibus nati sed per gratiam Christi ad fidem vocati et baptizati mundamur et Christo unimur. Nemo ergo alium contemnat, nemo derideat neque in aliquo laedat; sed potius propter Deum iuvet et instruat in quantum valet: sicut sibi ipsi fieri desiderat quando indiget. Qui ergo debilem in fide sacris verbis confortat: panem caeli languenti porrigit. Qui tristem consolatur: potum vitae sitienti propinat. Qui iracundum sermone blando mitigat; favo mellis linguam canis ungit: ne duris morsibus aliquem laedat. Qui dissolutum tacere facit: magnam pacem inter fratres devotos generat.

Qui aliis se praefert: stultum se ostendit et confusione dignum. Qui in omnibus se humiliat: gratiam ampliorem meretur et gloriam. Pius et humilis laqueos diaboli orando frangit et evadit: quos superbus vane gloriando incurrit et perit. A quibus pius Iesus nos semper custodiat: et ad caeli gaudia perducat.

DE PROVIDA LOCVTIONE ET FRATERNA COMPASSIONE.

CAPITVLVM XXIIII.

Medice cura te ipsum. Istud in mente semper habeas antequam loquaris et aliquem corripias: ne forte amplius pecces indiscrete vel iniuste aliquem arguendo. Os iusti et prudentis servat tempus et modum loquendi; et personam ac naturam hominis prius attendit: ne forte perdat aut laedat quem sanare debuerat. Os bene eruditum et discretum est quasi vas solidum auro ornatum, unguento plenum: balsamo odoriferum et omni honore dignum. Ex bonis verbis tuis et religiosis moribus saeculares aedificantur; pigri excitantur, neglegentes arguuntur, dissoluti compunguntur: ignari instruuntur, devoti inflammantur. Magis enim per vivida exempla

homines trahuntur ad contemptum saeculi et emendationem vitae: quam per multa verba saecularis scientiae. Non est magna ars et virtus velle alios docere et corripere sed se ipsum bene regere et correptiones pie suscipere et ferventer se in istis emendare: haec magna est sapientia apud Deum et homines. Disce dubiosa ad meliora trahere, ignota non iudicare: aperta mala cavere, proprium scandalum tegere; mores et defectus infirmorum supportare: et quae non potes emendare Deo committe. Cogita quia Deus in multis te portavit et adhuc cotidie portat; nec tamen te emendas sicut saepe dicis et proponis: sed pie te tolerat et expectat; ut paeniteas et infirmitatem tuam magis cognoscas, et veniam humiliter petas: et neminem spernas, nec temere iudices. Porta ergo fratrem tuum in paucis: sicut te Deus portat in multis. Paucis verbis devotus et humilis utitur: ne per excessum intus distrahitur. Superbus rigide loquitur: iracundus alios perturbat et correptus turbatur. Mitis correptus patienter sustinet; obsecrat magis quam increpat: peccanti condolet et amicum factis se probat. Qui praeesse aliis appetit: periculis se exponit et vilescit. Amator vanae gloriae nescit diu tacere: ne videatur ignarus esse. Erubescit vilia

et servilia opera facere: et post alios stare et in infimo loco sedere. Et tamen honor maximus est in omnibus humilitatem ostendere; et aliis inferiorem se sentire: et omnibus libenter velle propter Christum servire qui ait. Ego in medio vestrum sum: sicut qui ministrat. Disce iuvenis prius tacere antequam loquaris: ne coram senibus confundaris. Tutius est tacere: quam insipienter loqui. Magna ars scire tacere cum fueris correptus: et magna sapientia loqui modeste in tempore suo quod iustum est et decet coram eruditis. Insipiens nescit servare tempus et modum et ordinem: ideo multa mala sibi occurrunt et iuste reprobatur. Iuvenis audax et ad loquendum velox; insipienti similis: et casui proximus. Si instructus audit et correptus tacet et oboedit; spes magni profectus erit: et in virtutibus quasi lilium florebit. Grandis superbia stare in propria voluntate Deo contraria: et nolle acquiescere seniorum consiliis et verbis. Sed quia difficile est homini in omnibus verbis et factis modum tenere et se custodire; ideo religiosi eligunt et quaerunt in secreto manere et tacere: turbas fugere et Deo in oratione vacare.

DE INCERTA HORA MORTIS ET CELERI FINE HVIVS VITAE.

CAPITVLVM XXV.

Vigilate: quia nescitis diem neque horam.

Felix anima quae saepe cogitat de novissima hora: quando omnia sunt cessatura in hac vita laeta et tristia, honores et vituperia. Felix anima paupercula propter Deum peregrina facta; quae spernit omnia mundana culmina: quantumcumque sint magna et decora. In illa ultima hora peribunt ab oculis omnia castella villae et oppida; omnia vasa argentea et aurea: omnia fercula lauta et pocula varia cum aromatibus dulcorata. Cessabunt pariter lyra tuba tibia et cithara, omnis ludus iocus risus, saltus plausus, cantus et discantus, clamor in plateis et in domibus; quia ad nihilum redigentur omnium viventium corda: et pavebit a facie Dei omnis terra. O quam sapiens qui cotidie haec pensat: et ad futura bona et aeterna gaudia percipienda cum fletu se praeparat. Beatus qui sponte deserit quaecumque carnaliter delectant in terra: ubi omnia sunt periculis et laqueis plena. Beatus peregrinus qui saepe gemit et dolet in hoc exilio: et cupit dissolvi et esse cum Christo in

caelesti regno. Beatus qui odit hunc mundum et quae in mundo allicere possunt ad peccandum; et fugit cum Elia in desertum ad monasterium a facie multorum periculorum: quae saepe trahunt hominem incustoditum ad infernum. Beatus qui vigilat die ac nocte contra temptationes suas: et frequenter orat cum Elia dicens. Sufficit mihi Domine: tolle animam meam. Quia melius est mihi cum bona spe mori et decedere in gratia: quam videre mala et vivere inter tot pericula. Nam quamdiu anima est in corpore et corpus alitur cibis terrenis: non est homo purus a peccatis omnibus; nec liber a temptationibus suis: neque certus a casibus futuris. Decipitur ergo valde et errat tamquam insipiens corde qui hic diu vivere appetit, et multa agere proponit: et nescit an crastinum habebit. Memento homo nobilis et dives in deliciis tuis: qualis eris post mortem in terra sepultus. Et quid proderunt tunc omnes divitiae? En hodie rex vivit et imperat: et cras non invenitur nec auditur. Hodie in alto solio sedet et aureo pallio vestitur: et cras sub terra sepelitur et amplius non videtur. Hodie a multis honoratur: et cras a nullo curatur. Hodie magnificatur ab omnibus: et cras privatur divitiis et honoribus villis et

castellis. Hodie speciosus prae filiis hominum et in numero regum: et cras cibus vermium et foetor narium. Sicut nudus venit in mundum: sic quasi pauper et exul pergit in sepulchrum. Nam omnium deliciarum et pomparum saeculi brevis finis: mors dolor luctus et pavor invadit omnes. Moritur dominus papa et cardinalis: et succedit alius cito moriturus. Nemo quippe unius diei certitudinem vivendi habet; nec impetrare potest a papa bullam numquam moriendi: nec optinere pecunia praebendam iugiter manentem. Saepe enim post impetratam gratiam et praelaturam repentina mors venit; et omnia simul tollit. Sicque fit ut tam pauper et nudus homo de Roma recedit: sicut prius ad curiam venit. Legitur de multis antiquis patribus in libris qui valde diu vixerunt; qui fuit, qui fuit, et sic de aliis sequentibus: et in fine concluditur, et mortuus est. Omnes enim morimur: et tamqam aqua labimur in terram, unde facti sumus. Quid est totum tempus vitae nostrae nisi nunc breve instans; quasi ventus volans et aurora mane pertransiens, et hospes non revertens? Quasi fulgur caeli in ictu oculi: sic pereunt omnia regna et tempora mundi. Numera omnes dies horas menses et annos vitae tuae; dic ubi iam

sunt? Transierunt tamquam umbra solis: et perierunt sicut aranea texens. Flavit ventus et periit opus eius. Nihil ergo stabile et durabile super terram: de qua factus est Adam et filii eius. Totum enim vanum et fragile: quicquid videtur in saeculo magnum decorum et delectabile. Non ergo te decipiant illecebrae: nec frangant iniuriae. Qualitercumque sit aliquid ornatum coloribus, aut auro et argento et gemmis pretiosis decoratum: vilescit et arescit mortuum ac sepultum. In omni igitur opere quod agis et in quocumque loco fueris; ubicumque pergis et transis: memor esto finis vitae tuae et ultimae horae quam nescis. Felix qui cupit cum Paulo dissolvi et esse cum Christo. Hoc enim multo melius quam in carne diutius vivere et a Deo peregrinari: et in fluctibus saeculi quassari et turbari. Si Iesum in mente semper geris et vere diligis et ad eum cotidie oras: tunc utique fiduciam habebis de regno suo qui ait. Volo Pater ut ubi ego sum: illic sit et minister meus. Beatus ille servus: qui meruerit audire in extremis dulce verbum Christi. Euge serve bone et fidelis quia in pauca fuisti fidelis: intra in gaudium domini tui.

DE AETERNA LAVDE DEI ET DESIDERIO AETERNAE GLORIAE.

CAPITVLVM XXVI.

Audà anima mea Dominum a quo omne bonum procedit: et nunc et in aeternum permanebit. Ad ipsum ergo omnia referre debes sicut ad omnis boni principium et finem; et cum magna gratitudine ipsum intime laudare: ut iterum in te fluant dona caelestis gratiae largiori munere; donec pervenias ad fontem perennis vitae: et ad patriam claritatis aeternae et visionem divinae praesentiae et gloriae. Nil quippe tibi melius, nil salubrius, nil suavius, nil iucundius, nil dignius, nil altius, nil felicius, nil perfectius nil beatius: quam ardentissime amare et altissime laudare Deum. Hoc centies dico: hoc millesies replico. Nullum studium elegantius nullum opus eminentius, quam amare et laudare Deum creatorem ac redemptorem tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua: ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis. Hoc age quamdiu vivis sentis et intellegis: hoc perfice opere et sermone, die ac nocte, mane meridie, vespere, omni hora, omnique momento, pro posse nosse, integre pure adhaere semper Deo; ut sit Deus omnia in omnibus, ante omnia et super omnia a te di-

lectus benedictus laudatus et superexaltatus in saecula: et tibi bene cum eo sine fine.

Exulta ergo anima fidelis in Domino Deo tuo: sicut beata virgo Maria exultavit in Iesu salutari suo. Exulta et lauda Deum tuum qui te fecit et redemit: quia debitor Dei es in valde multis et magnis beneficiis et cotidianis bonis tibi benigne collatis; pro quibus omnibus plene et digne Deo regratiari numquam sufficis: etiam si angelus sanctus esses. Attamen lauda et gratias age ut homo mortalis: misericordia Dei indigens et eam semper quaerens et implorans. Non cesses orare et laudare Deum licet saepe cadis peccas et eum offendis; non tamen inde desperabis: sed magis te humiliabis et orabis. Ama et amaberis; quia amor omnia mala praeterita emendat purgat et sanat: illuminat et accendit; fugat tristitiam et parit cordis gaudium, quale mundus non novit: nec caro et sanguis sentire valet. Lauda Deum et laudaberis benedic et benediceris: sanctifica et sanctificaberis; magnifica et magnificaberis: glorifica Deum et glorificaberis ab eo in corpore et in anima. Sed quando erit hoc Domine, quando replebis os meum laude perpetua; et exultabit cor meum et anima mea cum sanctis tuis in gloria tua?

Sustine tempus adhuc modicum: et videbis mirabilia magna cum sonuerit tuba novissima. Tunc dabo sanctis meis pro omni labore et dolore requiem et vitam aeternam. Quid vis amplius? Prorsus nihil. Tu solus sufficis mihi Deus meus salvator meus; qui das vitam aeternam amatoribus et laudatoribus tuis: pro parvis immensa, pro infimis summa, pro perituris aeterna.

Da te ipsum Deo et totum quod habes; da ei quicquid agis scis et vales: et eris ditior et carior Deo quam fuisti. Dic cum sancto Paulo. Tamquam nihil habentes pro proprio: et omnia possidentes in Deo. Quasi viles et pauperes ac tristes in hoc mundo; sed divites ac hilares semper in Domino: certi de futuro praemio in caelo.

O Domine Deus salutare vultus mei et Deus meus; quando laetificabis me in regno tuo cum clarissimo vultu tuo? O quando illuminabis omnes tenebras meas splendor lucis aeternae; quando auferes omnia obstacula mea de medio cordis mei pax vera beatitudo summa et felicitas perfecta? O quando sine omni impedimento contrariorum sequar te secure et libere quocumque ieris Domine? O quando oculis meis clare te videbo sine speculo sine aenigmate, sine parabolis sine

figuris, sine quaestionibus sine dubiis; sine opinionibus sine interrogationibus a magistris? O quando omnia sciam quae credo in scripturis sanctis et lego in libris variis et audio auribus meis a lectoribus in multis locis, de Deo meo, de angelis et omnibus angelorum choris; de gloria et beatitudine caelestis patriae, de pace et ineffabili gaudio civium supernorum? O quando ibi ero quando veniam et apparebo in conspectu tuo; et contemplabor laetam faciem tuam et gloriam regni tui cum cherubin et seraphin et omnibus sanctis? Sed nondum venit hora illa: clausa est adhuc ante me caeli porta. Ideo gemo corde et ore quamdiu hic fuero: donec veniam ad te Deus meus.

DE LAVDE SANCTORVM ANGELORVM IN CAELO.

CAPITVLVM XXVII.

IN conspectu angelorum psallam tibi. O rex altissime Deus summe laudabilis, creator omnium rerum angelorum et hominum quamdiu morabor in terris; et elongabor a te et ab omnibus sanctis angelis tuis in caelis? Heu me pauperem et infelicem quamdiu manducabo cum hominibus panem terrenum

panem laboris et doloris et privabor pane angelorum continente omnis saporis suavitatem? O Domine quando audiam vocem laudis tuae ex ore angelorum tuorum in caelo; sicut beatus Iohannes apostolus relegatus in exilio audivit vocem multorum angelorum psallentium in unum. sanctus sanctus sanctus. O utinam essem unus cum ipsis et talem vocem haberem; quam libenter vellem te laudare cum eis: et super omnia altissima caeli cantica cantare et magnificare nomen sanctum tuum in aeternum. O cherubin et seraphin quam dulciter quam pulchriter quam ferventer et excellenter cantatis et iubilatis coram Deo: sine omni taedio, sine fatigatione sine cessatione in aeterna felicitate. Ideo omnis vox humana est mihi rauca; omnis cantus dissonus, omnis psalmus aridus: omnis musica gravis, omnia cithara surda; omne organum mutum, omnis mundi laetitia grandis tristitia: omnis ludus ululatus, omnis cibus et potus insipidus; omnis caro faenum, omne vinum fel et acetum: omne mel venenum, omne iucundum asperum; omnis decor foetor, omnis ornatus stercus: omnis honor et gloria vanitas et fumus, omne pretiosum et nobile vile et deforme; immo omnia nulla comparatione aeternae vitae aeternae gloriae, aeternae laetitiae

in conspectu Dei et angelorum: qui altissime collaudant sanctam et gloriosam Trinitatem die ac nocte sine fine. Sed quia ad ista sublimia caelorum cantica ascendere nequeo nec plene ea comprehendere sufficio; ideo me ipsum plango et valde despicio et coram Deo et omnibus hominibus flecto genua mea: et humiliter veniam peto. Nam opera mea vere nulla sunt sine gratia et misericordia tua Domine: quam maxime ostendis super omnem creaturam tuam sine numero et mensura. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei; quam profunda sunt iudicia tua et vera a saeculo usque in finem saeculorum, super bonos et malos, super gratos et ingratos, super pios et impios: ita quod nemo possit plene investigare opera tua, nec debeat iuste conqueri in aliquo facto improviso. Benedictus ergo semper Deus meus.

ORATIO DEVOTI AMATORIS ET LAVDATORIS DEI.

CAPITVLVM XXVIII.

Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Cupio Domine Deus meus cum omnibus sanctis tuis et creaturis in omni loco

et tempore devote te laudare, benedicere et praedicare, et puro corde semper amare: et super omnia opera tua nomen sanctum tuum magnificare et exaltare in perpetuum. Quoniam tu es Deus meus: et ego pauper servus tuus. Tu lux mea et spes mea Deus meus. Tu fortitudo mea patientia mea: laus et gloria mea Deus meus. Tu sapientia mea et prudentia mea: pulchritudo mea et dulcedo mea Deus meus. Tu musica mea et cithara mea: organum meum et tympanum meum Deus meus. Tu psalmus meus et hymnus meus: cantus meus et iubilus meus Deus meus. Tu galea mea et lorica mea: arcus meus et gladius meus Deus meus. Tu thesaurus meus, aurum meum, argentum meum, talentum meum: ad solvendum omne debitum meum Deus meus. Tu domus mea et castrum meum: et palatium meum Deus meus, tu scutum meum, et vexillum meum: turris fortitudinis et defensor vitae meae Deus meus, tu hortulus meus et pomerium meum: viridarium meum et refrigerium meum Deus meus, tu aula mea et mensa mea: cibus meus et potus meus Deus meus. Omnis enim cibus qui non est a te coctus et paratus: insipidus est mihi Deus meus, tu cinnamomum meum et balsamum suavitatis meae: nardus mea et electa murra mea

cum pretiosis unguentis Deus meus, tu rosa mea et lilium meum: tu sertum meum et corona mea Deus meus, tu thalamus meus et lectulus meus: sudarium meum ad tergendum, linteum ad involvendum Deus meus, tu lucerna mea et lampas mea: candelabrum meum et sidus meum Deus meus, tu liber meus intus et foris scriptus: biblia mea in qua tota sacra scriptura iacet, magister meus et Deus meus, tu lector meus et instructor meus: medicus meus et apothecarius meus Deus meus. In te omnia invenio et habeo te donante et miserante; et quicquid extra te quaero et desidero: parum vel nihil mihi prodesse sentio. Aperi ergo cor meum in lege tua sancta: redde mihi laetitiam salutaris tui; dilata cor meum ad currendam viam tuam: confirma me in verbis tuis; quia non est qui adiuvet: non est qui praeter te salvum faciat et ad vitam aeternam perducat. Exaudi me Deus meus cum deprecor: cum tribulor cum laetor, cum sanus sum: in omnibus me tibi commendo, et te in aeternum benedico. Amen.

DE VNIONE CORDIS CVM DEO HABENDA.

CAPITVLVM XXIX.

Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

Ipse enim est requies tua et pax tua: ipse vita salus et beatitudo tua. Igitur omnia opera bona quae facis vides et audis semper ad laudem Dei referas: ut pacem et bonam conscientiam habeas. Non in te nec in aliis stes nec maneas nec exultes; sed in Deo solo pure firmiter et perfecte: qui dat omnia et operatur omnia in omnibus pro sua magna bonitate et immensa clementia. Quis mihi det talem gratiam, ut omnia ad laudem et honorem Domini Dei mei referam et recte faciam sicut teneor et possum facere; et nulla res parva vel magna a Deo me retrahat: nec inficiat nec conturbet nec in aliquo impediat. Sed forte mihi non est possibile: ad hoc modo posse venire. Est tamen totum Deo possibile: qui animam devotam potest sibi per gratiam in amore cito unire. Hoc enim perfectus et purus amor Dei in momento facere potest quotienscumque voluerit: ut omnibus oblitis sibi soli sim perfecte unitus, et igne amoris eius vehementer accensus et liquefactus. O Deus meus amor meus

in loco peregrinationis meae; quando ero tibi totus unitus cum omnibus animae meae viribus a te mihi datis et gratiose infusis? Sileat ante te omnis creatura tua Deus meus; tu solus mihi loquaris assis et illumines: qui es omnia in omnibus et super omnia caeli luminaria aeternaliter benedictus. Felix anima in hoc mundo desolata, a Deo consolata; ab hominibus ignota, a sanctis angelis nota: a malis neglecta, a bonis requisita; a superbis despecta, ab humilibus dilecta: a saecularibus separata, a spiritualibus congregata; a magnatis derisa, a parvulis honorata: foris quasi mortua intus semper viva; carne afflicta, spiritu laeta: corpore debilis, mente fortis; vultu deformis, conscientia pulchra: labore fatigata, oratione roborata; onere pressa, solacio erecta: carne in mundo tenta, spiritu ad caelum rapta et Christo copulata.

Felix qui Iesum et Mariam et omnes angelos et sanctos Dei habet amicos in hac vita, duces in via: consules in dubio, doctores in studio; lectores in mensa, sodales in cella: familiares in colloquio, cantores in choro; custodes in periculis, adiutores in proelio: defensores contra hostes, intercessores pro peccatis, subventores in extremis, confortatores in agone: advocatos in iudicio, patronos

coram Deo: susceptores in caelo. Sit tibi religiose et devote frater postquam reliquisti saeculum pro terrenis parentibus Deus caeli pater; Iesus frater: virgo Maria mater; angeli amici: religiosi cognati; omnes fideles propinqui: senes avunculi, iuvenes fratres; coniuges matres, virgines sorores: pauperes nepotes; peregrini consobrini: mites et humiles consodales; sobrii et casti commensales infirmi et debiles familiares; afflicti et oppressi contubernales: derisi et despecti multum amicabiles; omnes devoti honorabiles; omnes mundum spernentes et Christo servientes cohaeredes regni caelestis. Haec est generatio sancta nobilisque progenies: ex Deo nata; Deo placita: fide fundata, spe roborata; caritate ornata: patientia armata; igne probata: constantia firma.

DE VERA PACE IN SOLO DEO QVAERENDA.

CAPITVLVM XXX.

Pax vobis ego sum: nolite timere. In Christo Iesu tota salus et vera pax animae consistit. Et qui Christum diligit habet pacem et in eo quiescit: nec ultra eum nec supra eum quid quaerere

plus affectat. Pax animae fidelis in hac vita: ferre multa adversa pro amore Dei et nomine Christi. Decipitur et errat: qui aliter sentit et cogitat. In vanum laborat; qui Deum in omni facto suo et cogitatu non praeponit: nec ipsum pure quaerit et cupit. Non est pax impiis dicit Dominus: sed pax multa diligentibus legem tuam Domine. Pax quam Christus docuit et promisit, in profunda humilitate existit; et in abnegatione propriae voluntatis, in mortificatione omnis pravae delectationis: in abiectione omnis mundanae laudis et externae consolationis in rebus perituris. Custodi ergo cor tuum ab intra, et omnes sensus tuos ab extra: ne capiaris aliqua illecebra et recreatione animae tuae nociva. Iuvant saepe creaturae si ad Creatoris laudem et honorem Dei recte et pure referantur: vel ad aliquam utilitatem sui vel alterius profectum moderate et discrete assumantur. Nocent autem saepe res pulchrae si curiose impudice et male concupitae aspiciantur et desuper delectant: et contra rationem et honorem Dei placent et animum movent. Nam sicut boni se custodiunt: ita incauti vincuntur vitiis. Temptant divitiae, corrumpunt pecuniae; inficiunt deliciae, necant epulae multae: inflant scientiae, tument potentiae; elevant honores, respuunt

perversi humiles mores: vanae laudes seducunt animos leves. Fatui sunt omnes et vecordes: qui ista terrena quaerunt et pro magno reputant; quae animam satiare non possunt: nec quiescere permittunt. Omnia temporalia defectuosa et indurabilia sunt et praeter Deum nil est perfectum, nec pro summo gaudio et optimo bono habendum. In nulla ergo creatura viva, vel pulchra pictura, aut nobili genitura, aut alta statura, aut magna praelatura, pone cogitatum et desiderium tuum: si non vis falli, turbari, et inquinari; quia totum vanum lubricum et noxium est: nisi omnia trahas ad Deum a quo omne bonum, et in quo omnia vivunt et consistunt. Non ergo vane glorieris homo fragilis et mortalis: in multis culpabilis et ad malum cito labilis, et ad standum et permanendum in bono debilis; nec confidas tibi ipsi nimis: nec stes fixe in te nec in aliis alte cogitando et praesumendo; sed quicquid boni consideras et intellegis in te et in omnibus creaturis: totum Deo pure et integre offer et ascribe. Tunc pacem et quietem cordis invenies in Christo et non in aliquo bono creato: et implebitur in te et de te dulce et sanctum verbum Christi ab eo in monte praedicatum. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Cui laus honor et gloria

ab omni creatura in saecula saeculorum. Amen.

DE RECTA INTENTIONE AD DEVM ERIGENDA.

CAPITVLVM XXXI.

Culi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

In omni cogitatione locutione et operatione tua habeas semper rectam et puram intentionem ad Deum: ut omnia facias ad laudem et gloriam et honorem Dei et proximi aedificationem. Ipse est causa omnium bonorum meritorum: atque largitor aeternorum praemiorum. Ipse principium et finis omnium operum tuorum esse debet: ne perdas fructum laborum tuorum. Si memor fueris terribilium iudiciorum Dei: non vane gloriaberis. Pessima pestis vana gloria: et velle laudari foris ab hominibus. Hoc utique vanissimum est et superbiae signum: gratiae Dei contrarium. Quid ergo facies; et in quo confides et sperabis? Non in te nec in homine, nec in aliqua re mundi, nec in stellis caeli, sed in solo creatore Deo tuo: qui fecit te et habet te et omnia creata simul in manu et potestate sua

sine onere et adiutore. Dic ergo et ora cum David in psalmo. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Et iterum. Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. Relictis ergo vanis rationibus et consiliis hominum: in cunctis necessitatibus tuis potius cum precibus et sanctis desideriis recurre confidenter ad Dominum Deum tuum: quoniam ipse est qui evellet de laqueo pedes tuos; ut non movearis a recta via virtutis et vera humilitate: sed stes fixus in Deo usque in finem. Omne opus bonum propter Deum factum laetificat conscientiam; illuminat mentem: et ampliorem meretur gratiam. Omne autem malum opus maestificat agentem et maculat famam bonam: et impedit divinae consolationis influentiam. Qui aliquid propter vanam gloriam facit: elationis vento lucernam extinguit; et qui propter mundum agit et apparere appetit: cito Deo irascente in lutum cadit. Non ergo laeteris in aliqua felicitate huius mundi quemadmodum stulti: sed sta semper in timore Dei, et cognitione fragilitatis tuae. Frequens lapsus et facilis error tuus: docebunt te humiliter et viliter de te ipso sentire. Neminem velis in hac vita nimis laudare: quia nescis qualis sit quisque

futurus. Nec temere iudices cadentem: quia potest Deus cito erigere flentem. Pro omnibus ora: et omnes Deo committe. Esto vilis in oculis tuis; ut fias magnus coram oculis Dei: qui humiles respicit, et altos a longe cognoscit et subito prosternit. Si ab hominibus despiceris et alii tibi praeponuntur, ne tristeris nimis; quia melius et securius est humiliari cum mitibus et simplicibus: quam a Deo reprobari cum divitibus et elatis. Cave laudari, time magnificari: erubesce honorari, fuge reputari, quaere latitare. Elige Deo vacare: sacris lectionibus et devotis precibus sedule immorari. Non est sine laude et honore: qui propter Deum spernit laudes et honores. Nec est sine solacio divino: qui omnia huius mundi gaudia reputat pro nihilo; et omnia sibi contraria sustinet libenter pro Christo: et cotidie anhelat esse cum eo in caelo.

ORATIO HVMILIS ET CONTRITI SPIRITVS.

CAPITVLVM XXXII.

AD te Domine levavi animam meam: qui habitas in caelis.

O Domine Deus qui omnia provide ac iuste disponis in caelo et in terra cum

angelis et hominibus et omnibus creaturis tuis: accipe pro magnis laudibus et gratificationibus tibi debitis omnes tribulationes et angustias cordis mei in vera contritione peccatorum meorum tibi modo oblatas. Converte mihi omne malum in bonum, et bonum semper in melius: pro gloria nominis tui et animae meae aeterna salute. Tu scis omnem infirmitatem meam et magnam ignorantiam meam atque cotidianam instabilitatem memoriae meae: quam cito vagor hinc inde longius a te saepissime. Parce mihi Domine secundum multitudinem miserationum tuarum: et reduc me citius ad te. Conserva cor meum apud te in devota oratione et sacra meditatione die ac nocte: quantum mihi est possibile in hoc fragili corpore. Cupio placare benignissimam faciem tuam muneribus sacris et precibus; et praecipue tribus pauperum obolis: contritione cordis confessione oris, et satisfactione humilis operis. Domine Deus meus summe amabilis, memento mei pauperis: quia homo sum fragilis, non angelus sanctus, peccator magnus, non innocens agnus: tepidus orator, non fervidus contemplator. Et ideo nec dignus servitor tuus: nec inter devotos oratores debeo computari nec videri, nec nominari. Domine mi carissime: accepta sit tibi obsecro humilis

oratio mea et amara contritio peccatorum meorum; pro dulci cantu et iubilatione angelorum: et concordi laudatione omnium caelestium civium supernorum. Verumtamen non despero nec desperabo de venia et misericordia tua: quamvis saepius cado et gravor in me ipso ex infirmitate mea. Non cesso nec cessabo a laude tua in vita mea: sed laudabo et magnificabo te, donec ad te perveniat o Deus anima mea. Nam te semper laudare et super omnia amare; summa felicitas angelorum et beatorum in patria.

DE BONA SOCIETATE CVM IESV ET SANCTIS EIVS.

CAPITVLVM XXXIII.

Quaerite Deum et vivet anima vestra. Nihil melius: nil animae felicius. Qui aliud quaerit: nihil in fine optinebit. Si ergo vis habere bonum socium pro solacio: quaere Iesum cum pastoribus in praesepio; aut cum sanctis magis in matris gremio aut cum Simeone et Anna in templo; aut cum Martha in castello: aut cum Maria Magdalena in sepulchro; aut cum apostolis in cenaculo: ad accipiendum Spiritum sanctum cum magno gaudio. Beatus qui in his et aliis sanctis locis

Iesum devote quaerit, non corpore: sed spiritu et veritate. Beatus qui in omni loco et omni tempore Iesum intime quaerit; et magnis desideriis ad eius claram visionem et praesentiam anhelat: et cotidie se praeparat. Beatus qui Iesum in vita sua per passionem et crucem sequitur; quia in extremis bene sibi cum Iesu erit: et ab auditione mala non timebit. Non solum Iesum quaere; sed etiam discipulos Iesu et omnes diligentes Iesum: et qui patienter ferunt adversa propter Iesum. Amor namque Iesu et amicorum eius mundum spernit: et omne vanum et impurum longe a se repellit. Relinque ergo amicos et notos ac sodales extraneos qui in solitudine et devotione te impedire possunt; et quaere pro singulari solacio tuo in secretario cellae familiaritatem cum sanctis apostolis et cognatis Iesu: ut loquantur tibi de regno Dei et statu aeternae beatitudinis: et quomodo per multas tribulationes possis ad eorum societatem pervenire.

Accede autem ante omnes sanctos et sanctas caelestis curiae cives ad secretum tabernaculum atque oratorium beatae Mariae virginis a saeculi turbis remotum: et quaere ibi solacium animae tuae precibus insistendo. Audi quomodo angelus Domini cum Maria loquitur de incar-

natione Christi, et redemptione generis humani. Felix dies et beata hora: si poteris ibi facere moram cum angelo Gabriele et beata virgine Maria audiendo ab eis mysteria caelestia. Crede firmissime omnia esse vera per angelum Mariae nuntiata: sicut Maria credidit Deo et angelo eius sibi misso de caelo. Deinde quaere diligenter sanctum Iohannem Baptistam praecursorem Domini nostri Iesu Christi in eremo latentem: et flexis genibus saluta eum devotissime supplicando. Ave sanctissime et dilectissime amice Iesu Christi Iohannes. Multa bona et magna mirabilia audivi de te: quam sancte et miraculose sis natus; quam stricte et religiose fuisti a puero in solitudine conversatus: ne levi saltem famine aut cogitatione peccares. Quaere ab eo quamdiu ibidem solus manserit: et maneas cum eo quantum placet et tempus permiserit. Disce ab eo quid comederit et biberit: et quis ei necessaria ministraverit; utrum pater eius et mater aliqua sibi miserint et quandoque ad eum venerint, vel ipse ad eos videndos exierit: an etiam sanctus angelus Gabriel ad eum quandoque descenderit et multa secreta ei revelaverit; et an Iesus ei personaliter apparuerit et manus eius confortaverit: sicut scriptum est in Evangelio. Etenim manus Domini

erat cum eo. Quicquid de istis sit totaliter Spiritui sancto committe; qui ipsum implevit docuit et rexit: et totam vitam eius virtutibus ornavit; et usque ad exitum vitae in eremo et inter homines et in vinculis et in carcere custodivit: et tandem cum martyrii palma animam eius suscepit.

Deinde ad apostolos Christi procede, et quaere sanctum Petrum, et vade cum eo in templum ad orandum vel etiam in cenaculum ascende ad accipiendum Spiritum sanctum. Quaere etiam Paulum in Damasco et in Epheso: et perge cum eo ubique ad praedicandum evangelium Christi non in corpore, sed in spiritu. Ecce quomodo plus omnibus laborat, et quam saepe orat: et quam frequenter in orando et contemplando rapitur per excessum in caelum. Sublimis volatus iste non omnibus datus: et tamen ad ima descendens dicit. Ego non arbitror me comprehendisse. Et iterum post alta ad instruendum humiles in vita et in passione Christi ait. Nihil arbitratus sum me scire inter vos: nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. Sequere sanctum Paulum: et ducet te recta via ad Christum et per crucem ad caelum.

Vade ulterius et quaere Andream apostolum in Achaiae partibus praedican-

tem Christum: et audi verba pendentis in cruce pro Christi nomine. Signa ea in corde tuo, et stude implere cum gaudio inspirante et iuvante Spiritu sancto: quaecumque loquitur de passione Christi et sanctae crucis laudibus. Quaere consequenter sanctum Iacobum maiorem passum et occisum ab Herode: et bibe cum eo calicem passionis huius miserabilis vitae, patienter tolerando dolores pro amore Dei et animae tuae salute.

Deinde procede et quaere Iohannem apostolum Christo dilectum, et pro nomine Iesu in exilio religatum, ab omnibus saecularibus curis et negotiis segregatum; ubi divina revelatione altius illustratus, Apocalypsis librum de statu totius ecclesiae militantis et triumphantis figuris et mysticis verbis scripsit: et post haec etiam pro omnium ecclesiarum et fidelium eruditione et consolatione sanctum Evangelium de divinitate Christi ultimus edidit. Lege et stude in istis et aliis sacrae scripturae libris pro captu tuo et consolatione exilii tui in hoc mundo; non ut doctus et sapiens videaris: sed mitis et patiens, humilis et oboediens usque ad mortem efficiaris.

Quaere adhuc alios sanctos apostolos pro consolatione tua in Christi servitio occupatos; pro fide et amore Christi occi-

sos: verbo et exemplo multos aedificantes. Vide sanctum Iacobum fratrem Domini Epistulam canonicam scribentem: formam christianae vitae et religionis perfectionem continentem. Quaere et sanctum Thomam in India, qui vulnera Christi reverenter palpavit, firmiter credidit: et cum ferventi amore aperte clamavit dicens. Dominus meus et Deus meus. Quaere etiam cum magno desiderio sanctum et eruditum apostolum scilicet Matthaeum evangelistam scribentem Hebraicis litteris Christi Evangelium toti mundo profuturum: omnibus nationibus populis et linguis variis ad salutem destinatum. Simili modo et affectu quaere alios sanctos apostolos et discipulos Iesu Christi in locis suis verbum vitae retinentes, et populum docentes: et usque ad mortem in vinea Domini laborantes. Isti sunt sancti et amici Dei: qui sanguine fuso cum corona martyrii meruerunt vitam aeternam. Lege ergo libenter vitam et passiones eorum: et consolaberis in laboribus et doloribus tuis; quia nihil est quod tu facis et pateris pro Christo in servitio Dei: comparatione sanctorum et aliorum devotorum.

DE SVMMO BONO ET VLTIMO FINE IN SOLO DEO PONENDO.

CAPITVLVM XXXIIII.

Satiabor cum apparuerit gloria tua. O Domine quomodo potest homo ad hanc gloriam pervenire? Per contemptum sui et omnium terrenorum: et per ardentem amorem omnium caelestium bonorum. Testes sunt animae sanctorum laetantes in regno caelorum: et omnes fideles certantes et laborantes contra temptationes vitiorum. Ab hoc glorioso fine et summo bono aeternaliter fruendo longe distant superbi daemones, infideles pagani, perversi Iudaei et haeretici indurati, homines carnales mundum diligentes, Deum neglegentes: et in terrenis bonis et honoribus ac laudibus finem suum et felicitatem constituentes. Qui heu Deus propter haec habenda augenda et servanda currunt laborant student vigilant, et fere numquam quiescunt: nec sollicitare cessant donec aliquid acquirant. Et cum acquisierint sive rectum sive indirectum fuerit adhuc non contentantur: sed ad altiora scandere et gloriari super ceteros concupiscunt et intumescunt; doctos se iactant, magnos se aestimant: et ab aliis honorari affectant. Et tamen totum est vanum lubricum et nihilum:

et finaliter periculosum et perditum quod quaerunt et cupiunt. Certe erratis et vos ipsos decipitis quibus mundus adhuc dulcis est et iucunda vita praesens; quia nil certi habetis de omnibus bonis vestris: et cotidie morti et iudicio Dei futuro propinquatis. Nihil enim est in hac vita ita iucundum quin habeat aliquid amaritudinis annexum; nil in creaturis tam pretiosum et bonum et delectabile: quod possit animam hominis satiare et beatificare, ab omni malo eripere, et omni bono replere et semper laetificare, nisi solus Deus summe bonus aeternus et immensus. Hic est creator omnium rerum visibilium et invisibilium angelorum et hominum: qui est ante omnia et super omnia et in omnibus Deus benedictus in saecula. Quid enim digne de Deo dici potest aut cogitari ab aliqua creatura in caelo et in terra? Excedit namque Deus omnia: ante cuius oculos omnia videntur vana et nulla. Ideo fatua est omnis anima et permanebit semper egena et misera: quae extra Deum aliqua quaerit et diligit quae a dilectione et honore Dei mentem separant. Magna et mirabilia opera tua Domine: et cogitare et perscrutari singula non est mihi nec alicui creaturae possibile. Quid igitur faciam quia non possum altiora capere nec secreta caelestia penetrare; neque

cum angelis faciem Dei mei contemplari? Indignum me fateor tantis bonis frui: et cum sanctis in caelo conversari. Ideo me semper humiliabo et despiciam coram Deo et omnibus hominibus quamdiu fuero; et ero vilis in oculis meis: ut Deus misereatur mei peccatoris nunc et in omnibus horis. Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animae meae quibus iram merui; et placabo in gemitu et fletu Deum quem offendi saepius verbis factis visu auditu et ceteris sensibus meis: quos mihi ad serviendum sibi dedit in toto corde meo quamdiu in corpore vivo. Sed ne desperem et deiciar in malis meis, recordabor Domine omnium bonorum tuorum; et omnium misericordiarum tuarum quae a saeculo sunt: donec ad te auxiliante gratia tua merear salvus pervenire. Libera me ab omnibus malis irruentibus subito in me quae retrahunt saepius cor meum a caelestibus bonis meditandis. Adesto mihi pie Deus et pone me iuxta te: ne incipiam vagari et elongari a summo bono quod tu es Domine. Nam in te solo totum bonum meum. Da te ipsum mihi et sufficit animae meae Domine Deus salutis meae. Amen.

EXPLICIT VALLIS LILIORVM.

CONSOLATIO PAVPERVM

INCIPIT CONSOLATIO PAVPERVM ET INFIRMORVM ET HIS ARTICVLIS SVBDIVIDITVR.

Pauper
Debilis
Lazarus infirmus
Ioseph peregrinus
Claudus despectus
Columbanus tacitus
Simplicianus indoctus
Turtur solitarius.

INCIPIT CONSOLATIO PAVPERVM ET INFIRMORVM.

CONsolamini consolamini populo meus dicit Dominus Deus vester.

PAVPER.

NOli pauper tristari: quia dives non es.

DEBILIS.

NOli murmurare debilis corpore, quia saepius infirmaris: nec habes quod delectat.

LAZARVS INFIRMVS.

GAude in Domino frater Lazare qui multis vulneribus modo repleris; quia tibi praeparatur aeterna requies pro modico vili cibo male parato: et pro brevi dolore in corpore sustentato. Pro micis tibi negatis habebis splen-

didas epulas in convivio caelestis Regis: et comedes semper panem caeli de mensa Iesu Christi in regno Patris sui. Pro vulneribus tibi inflictis habebis coronam mirae pulchritudinis: ornatam floribus immensae suavitatis. Pro canibus lingentibus vulnera tua, habebis angelos tibi servientes in laetitia magna: laudantes Deum pro tua multiplici inopia et benigna patientia.

IOSEPH PEREGRINVS.

IOSEPH Ætare frater Ioseph innocens et mansuete pro longa peregrinatione tua in terra aliena; ubi non habes amicos te visitantes et honorantes: et munuscula tibi dulcia offerentes; quia magna erit merces tua in caelesti patria et consolaberis ab angelis in parvo latens cubiculo; qui tibi praeparabunt amplam et splendidam mansionem in caelo: quia humiliorem locum et viliorem vestem elegisti in hoc mundo.

CLAVDVS DESPECTVS.

EXulta frater Claudiane qui a multis iam despiceris: quia non vales currere per vicos et plateas cum fortibus et divitibus; qui laetantur in variis

deliciis carnis: et subito descendunt ad inferos. Tu vero in secreto maneas: et indesinenter pro te et aliis ora ac Christum specialiter lauda; qui multas occasiones peccandi tibi abstulit: et caelestis regni portam per artam viam intrare ostendit.

COLVMBANUS TACITVS.

NVbila frater Columbane humilis et taciturne: sine dolo sine felle. Esto nunc oboediens usque ad mortem: qui abnegando temet ipsum tollis vere crucem tuam eundo post Christum. Ideo gaudebis cum omnibus sanctis et electis Dei in perpetuum: nec timebis damnari cum diabolo in ignem aeternum.

SIMPLICIANVS INDOCTVS.

CAnta et lauda Deum frater Simpliciane; quoniam reliquisti prudentiam huius saeculi et fallacias diaboli cum nundinis suis: et curas terrenas suas longe abiecisti. Gratias age quia meruisti audire veri Salomonis sapientiam Domini nostri Iesu Christi: in sua humilitate et mansuetudine. Disce frangere propriam voluntatem et carnis vincere voluptatem: et cotidie certa contra

diaboli impugnationem et cordis evagationem. Sta firmiter, pugna viriliter: noli recedere a certaminis loco et bono consortio; quia tecum est Dominus Deus tuus et angeli eius: ante quorum conspectum fugiet cito spiritus malignus tamquam fumus a vento repulsus.

TVRTVR SOLITARIVS.

AVdi turtur gemebunde: attende desiderator vitae solitariae et castitatis amator aeternae. Quando te subtrahis a tumultibus hominum, orando meditando studendo: tunc appropinquas caelestibus choris angelorum; et recedent a te impetus daemonum et imagines turpium idolorum: omniumque nocentium monstra vitiorum. Nemo tam quiete vivit in congregatione, tam laetanter ex hoc mundo transit; sicut verus oboediens, mitis et humilis corde, renuntians perfecte omni propriae voluntati: subditus Deo et hominibus propter Deum ex virtute sine mora. Magna virtus magna gratia: vincere se ipsum et mori omni hora. Dura pugna: sed gloriosa et aeterna praemia reddentur pro victoria consummata.

EPITAPHIVM MONACHORVM

INCIPIVNT CAPITVLA LIBELLI SEQVENTIS.

De recta via iustorum ad regnum caelorum . Cap. I·
De bona custodia cordis et oris . . . . . Cap. II·
De frequenti invocatione nominis Iesu et Mariae Cap. III·
De certamine contra cotidiana vitia . . . . Cap. IIII·
De optimis bonis animae . . . . . Cap. V·
De vera et interna consolatione animae . . . Cap. VI·
De recollectione cordis in silentio oris . . . Cap. VII·
De remediis contra vanam gloriam et laudem Cap. VIII·
De munditia cordis a vitiis et passionibus occultis . . . . . Cap. IX·
De vera pace cordis in virtutibus . . . . . Cap. X.

INCIPIT BREVE EPITAPHIVM MONACHORVM.

DE RECTA VIA IVSTORVM AD REGNVM CAELORVM.

CAPITVLVM I.

Via iustorum recta facta est: et iter sanctorum praeparatum est. Quomodo? Per dolorem et laborem. Sic enim itur ad regnum caelorum. Non est alia via ad vitam aeternam? Non. Recta sola via crucis? Ita est. Hanc Christus verbo docuit: et sancto exemplo suo sequendam omnibus praeostendit. Hanc omnes sancti secuti sunt usque ad mortem: iuxta illam Domini sententiam. Intrate per angustam portam: quae ducit ad vitam.

O monache quid facis in cella? Lego scribo colligo mella. Haec animae meae solacia. Bene dixisti. Nam cella monachorum in labore et studio librorum flagrare debet.

O clerice quid facis in choro? Lego canto crimina ploro. Recte respondisti. Nam chorus clericorum in canore et iubilo psalmorum occupari debet: et Deum corde et ore laudare sicut angeli in caelo.

O religiose quid edis in mensa? Fel Christi vulnera penso. Numero condoleo: per singula vulnera ploro, quantum potero. Iuste et optime pensasti. Nam mensa egenorum in maerore et fletu dolorum Christi versari debet: et Deo regratiari.

O devote quid bibisti in cena? Bona dogmata nectare plena. Recte respondisti. Nam cena devotorum in sacra lectione et sensu verborum delectari debet. Nonne anima plus est quam corpus? Si sapit bonus haustus in ore: multo melius sapit bonus intellectus scripturae in corde.

DE BONA CVSTODIA CORDIS ET ORIS.

CAPITVLVM II.

Dixi custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.

Numquam sis otiosus nec verbosus: nec curiosus nec ridiculosus. Ante laborem et in labore memor sis Domini Dei tui, ut te custodiat semper. Inter hostes versaris: et inter pericula maris fluctuas.

Ideo incessanter orandum est ne vincaris a vitiis: et in profundo malorum desperando submergaris. Sta firmiter et noli deficere in cotidiano certamine: et a tribus bestiis maxime cave. Mane certa contra acediam; meridie contra gulam: vespere contra carnis lasciviam. Canis vult diu dormire; lupus vult multum comedere: asinus vult in stratu lascivire. Canem excita virga; lupum percute baculo: asinum flagella spinis acutis. Virga est timor mortis; baculus est ardor inferni: spinae passio Christi et sanctorum martyrum cruciatus. His tribus armis vincuntur vitia carnis.

DE FREQVENTI INVOCATIONE NOMINIS IESV ET MARIAE.

CAPITVLVM III.

Adiuva me et salvus ero.

Stude Deum invocare in omni opere mane meridie et vespere, cum sancto Daniele: et iuvaberis in omni necessitate corporis et animae. Iesum habe in corde: et eris mundus ab omni sorde. Sit Ave Maria saepe in ore; et repleberis Spiritus sancti consolatione. Solitudo et silentium oratio et ieiunium: arma sunt monachorum. Laborare in die, vigilare

et orare in nocte: sanctorum exercitium speciale. Hoc Deo et angelis est acceptum: daemonibus contrarium; iuvenibus utile, senibus delectabile: pigris grave, devotis leve et suave. Cum non potes bene vigilare studeas Iesum invocare: et fugiet a te diabolus bonorum inimicus. Si non potes dormire prae tristitia; studeas Mariam salutare cum laetitia: et aderit tibi angelus sanctus bonorum amicus. Si taedet orare studeas psalmos ruminare; et confortabit te Spiritus sanctus consolator optimus: doctor intimus, illustrator cordis maximus.

DE CERTAMINE CONTRA COTIDIANA VITIA.

CAPITVLVM IIII.

Regnum caelorum vim patitur: et violenti rapiunt illud.

Idcirco indue arma sanctae crucis: certa sicut fortis miles; stude ut bonus clericus: ora ut devotus monachus; labora ut fidelis Dei servus: et eris in caelo gloriose coronatus. Clavus clavo expellitur: vitium virtute superatur. Ira silentio compescitur: gula ieiunio refrenatur. Otium labore fugatur: risus dolore cassatur. Odium amore necatur: hostis beneficio placatur.

Pax cordis patientia acquiritur; et qui alios leviter arguit: indignationem cito incurrit. Parva enim rerum implicatio: multae pacis est acquisitio. Saepe hoc dicitur: et saepe repetendum est ut bene custodiatur. Nil dictu facilius: nil facto beatius Christo referente. Si scitis haec: beati eritis si feceritis ea. Verbosi multi: taciturni autem pauci. Cupidi multi: pauci paucis contenti. Nemo perfecte contentatur: nisi summo bono plene fruatur. Inops est omnis mensa pane carens et sale. Insipida refectio si desit sacra lectio: et affluunt inania verba. Optimum ferculum animae: verbum Dei audire et bene masticare. Ille dulci cibo pascitur: qui sacris verbis delectatur. Diu aridus et indevotus erit: qui vana libenter audit et quaerit.

DE OPTIMIS BONIS ANIMAE.

CAPITVLVM V.

Diligam te Domine virtus mea. Inter nobiles nil virtute nobilius: inter ignobiles nil vitio deterius. Inter pulchros et honestos nil castitate pulchrius; inter scientias nil sapientia altius: inter devotos libros nil vita Iesu Christi salubrius. Inter omnes preces et laudes

Dei nil Pater noster sanctius: nil Ave Maria dulcius et angelis iucundius. Omnia vota et desideria sanctorum oratio Dominica excellit: omnia dicta prophetarum et melliflua verba psalmorum et canticorum plenissime et secretissime in se continet, omnia necessaria petit: Deum summe laudat, Deo animam coniungit; et de terra ad caelum levat: nubes penetrat, et angelos transcendit. Beatus qui attente singula verba Christi pensat.

DE VERA ET INTERNA CONSOLATIONE ANIMAE.

CAPITVLVM VI.

Vincenti dabo manna absconditum: et nomen novum.

Manna absconditum est consolatio sancti Spiritus de spe veniae et contritione peccatorum: cum proposito bono et firma intentione se semper emendandi et proficiendi. Verax est Deus: et omnia verba eius vera sunt et firma. Fidelis et verus amicus non mentitur: nec agit in dolo cum proximo suo. Qui alium decipit: non est veritas in eo. Qui de bono superbit: non est gratus nec fidelis Deo. Noli superbire: ne perdas donum quod accepisti de caelo sine merito tuo. Curam

habe de bono nomine; sed noli meliorem te fingere: nec sanctiorem aliis credere. Bona vita bonum nomen facit; et qui male se regit: bonum nomen perdit. Nomen novum iterum acquirit: qui malos mores relinquit. Ille veraciter quasi hodie natus vivere incipit; qui in spiritu ambulare proponit: et omnia nociva vitat et spernit. Melior est bona fama ex sanctitate vitae: quam odor unguenti pretiosi et divitiae multae.

DE RECOLLECTIONE CORDIS IN SILENTIO ORIS.

CAPITVLVM VII.

Secretum meum mihi. Cum distractus fueris ex colloquiis longis; recollige te iterum in longo silentio intus manendo in secreto solus: et gemendo pro commissis. Cito fit distractio cordis ex rebus visis et auditis: sed frequens oratio et interna compunctio expellit imagines noxias et curas superfluas. Qui nil commodi quaerit nec concupiscit in terris, et elongat se a tumultibus cunctis; potest cito libere volare ad Christum in caelis: sicut ait devotissima mater sancti Augustini in excessu mentis. Volemus inquit ad caelum fideles.

DE REMEDIIS CONTRA VANAM GLORIAM ET LAVDEM.

CAPITVLVM VIII.

Vanitas omnis homo vivens.

Noli extolli de aliquo bono coram hominibus; quia habes multos defectus intus quos novit Deus: et tu non vides nec ponderas sicut deberes. Qui laudem humanam quaerit de singulari facto: saepe confusionem incurrit Deo permittente coram multis in aperto. Vana gloria et amor propriae laudis decipiunt multos privando eos bonis aeternis: ut patet in virginibus stultis. Quid stultius quam vana diligere; et vera respuere? Quid perversius; quam Deum neglegere et hominem attendere? Quid amentius; quam mundum aspicere et caelum despicere? Cor divitis in terra: cor pauperis in caelo. Cor humilis sub Deo: cor superbi contra Deum.

DE MVNDITIA CORDIS A VITIIS ET PASSIONIBVS OCCVLTIS.

CAPITVLVM IX.

Beati mundo corde.

Munda cor tuum a vitiis: ut vere sis bonus. Quare miser vis laudari de bonis quae non habes? Vere despicabilis es in multis, quod merito erubescere

possis: quamvis libenter hoc non audis tibi dici ab aliis. Qui sunt qui vanitatem amant? Qui humanam laudem affectant. Humilis et sibi ipsi vilis in veritate stat et numquam se de bono elevat: sed semper se humiliat et peccatorem fatetur et dolet. Inspice te recte et interne: et noli leviter credere linguae alienae et famae ventosae. Vidi laudantem socium suum in facie: et post tergum detrahentem pessime. Consideravi arguentem amicum in caritate seriose: et excusantem eum publice ipso nesciente. Quando veritas et caritas sibi obviant: tunc quae pacis et salutis sunt pariter tractant. Lava manus tuas ab opere perverso, et prohibe labia tua a verbo otioso: oculos a visu nocivo; cor a cogitatu maligno: et eris mundus coram Deo. Saepe lavas manus et faciem ne displiceas hominibus; multo magis lava conscientiam tuam a vitiis: ut placeas Deo et angelis eius qui vident abscondita cordis.

DE VERA PACE CORDIS IN VIRTVTIBVS.

CAPITVLVM X.

Beati pacifici.

Cor purum diligit Deus; in pace habitat Christus: super humilem et mitem

requiescit Spiritus sanctus. In tumultu perditur Iesus, in risu offenditur: in ira expellitur, in mendacio conspuitur; in detractione spoliatur, in dolo percutitur: in odio crucifigitur. Quicquid mali proximo ingeritur: Iesus sibi factum conqueritur. Cave offendere Deum: caveas scandalizare proximum ad imaginem Dei factum. Revoca errantem, instrue ignorantem; da bonum exemplum: tolle omne offendiculum; sequere Iesum patiendo obprobrium: pro malo restitue bonum; et recipies pro omni modico hic passo praemium aeternum: et gaudium cum angelis sanctis in regno caelorum. Amen.

Et sic est finis.

VITA BONI MONACHI

INCIPIVNT CAPITVLA LIBELLI SEQVENTIS.

De renuntiatione saeculi . . . . . Cap. I·
De remediis vitiorum . . . . . Cap. II·
De exemplis eremitarum . . . . . Cap. III·
De patientia martyrum . . . . . Cap. IIII·
De studio doctorum . . . . . Cap. V·
De labore et oratione confessorum . . . . Cap. VI·
De extirpatione vitiorum . . . . . Cap. VII·
De exercitiis monachorum . . . . . Cap. VIII·
De corona et praemio monachorum . . . . Cap. IX·

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT VITA BONI MONACHI.

AVdi religiose monache, ausculta devote clerice: attende senex et parvule, doctrinam bonae vitae. Sequere humiles mores Iesu Christi et exempla sanctorum: quae te ducant ad regnum caelorum. Relinque curiosa argumenta verborum: quae impediunt profectum devotionis et virtutum.

DE RENVNTIATIONE SAECVLI.

CAPITVLVM I.

MOnache ad quid venisti;
quare mundum reliquisti?
Cur cappam istam induisti;
et pompam mundi despexisti?
Nonne ut Deo servires;
et cor tuum custodires?
Cur ergo sic vagaris;
et vana meditaris?
Multum peccas evagando:
tempus perdis otiando.

DE REMEDIIS VITIORVM.

CAPITVLVM II.

APprehende arma et scutum:
evagari non est tutum.
Otiari grande vitium:
fabulando perdis praemium.
Operando vince taedium:
orando quaere remedium.

DE EXEMPLIS EREMITARVM.

CAPITVLVM III.

MAne ergo in coenobio:
vive caste sine proprio.
Fuge tace cum Arsenio:
sede solus cum Machario.
Saepe ora cum Antonio:
labora cum Pachomio.
Ieiuna cum Euagrio:
vigila cum Hilario.

DE PATIENTIA MARTYRVM.

CAPITVLVM IIII.

SVstine dolores cum Laurentio:
despice honores cum Vincentio.
Dilige Iesum cum Ignatio:
fer damna rerum cum Eustachio:
Confitere Christum cum Tiburtio:
resiste draconi cum Georgio.

Coronaberis cum martyribus:
si resistis malis instinctibus.

DE STVDIO DOCTORVM.

CAPITVLVM V.

LEge scribe cum Hieronymo:
viro sancto et doctissimo.
Canta hymnos cum Ambrosio:
psalmos David in psalterio.
Stude doce cum Augustino:
de summo bono et divino.
Cuius librorum magna copia:
illustratur sancta ecclesia.
Disce mori mundo cum Gregorio:
perseverando in monasterio.
Porta Iesum cum martyrio,
visita aegrum in exilio.
Laetaberis cum doctoribus:
si fidem servas cum moribus.

DE LABORE ET ORATIONE CONFESSORUM.

CAPITVLVM VI.

IMitare sanctum Benedictum:
serva omne verbum tibi dictum.
Bonum est laborare manibus:
melius orare cum fletibus.
Quaere Iesum cum Bernardo:
cum Hugone et Richardo.

In canticis canticorum,
et in choro angelorum.
In studio clericorum:
et in verbis seniorum.
In commentis magistrorum:
et in libris devotorum.
Praemiaberis cum confessoribus:
si abnegaveris te in omnibus.

DE EXTIRPATIONE VITIORVM.

CAPITVLVM VII.

CAve curiosa legere:
quae possunt mentem distrahere.
Stude vitia tua cognoscere:
et viriliter eis resistere.
Ambula cum simplicibus:
adhaere innocentibus.
Benefac tibi contrario:
supplica pro adversario.
Et eris carus Dei filio:
ac dignus sanctorum consortio.

DE EXERCITIIS MONACHORVM.

CAPITVLVM VIII.

MOnachorum est orare;
gemiscere et plorare:
pro suis defectibus.
Carnem suam castigare;
vigilare ieiunare:
a voluptatibus.

Linguam refrenare;
aures obturare:
a vanitatibus.
Oculos custodire;
pedes praemunire:
ab excursibus.
Manibus laborare:
labiis exultare;
corde iubilare:
in Dei laudibus.
Caput denudare:
basse inclinare;
genua curvare:
Crucifixi pedibus.
Prompte oboedire;
numquam contraire,
suis maioribus.
Libenter servire;
cito subvenire:
infirmis fratribus.
Curas mundi abicere;
caelestibus intendere:
totis conatibus.

DE CORONA ET PRAEMIO MONACHORVM.

CAPITVLVM IX.

NE vincaris a daemonio;
omnia fac cum consilio:
et non facile errabis.

Nescis enim quamdiu hic eris;
certum istud est quod morieris:
numquam tamen desperabis.
Esto internus et devotus;
Deo totus mundo ignotus:
et eris semper laetus.
Multum tibi vilis et despectus;
fratri tuo pius et subiectus:
maturus et facetus.
De bonis da Deo gloriam;
Et de malis pete veniam:
omnem remittens iniuriam.
Sicque per Dei gratiam;
pervenies ad patriam:
post huius vitae miseriam.
Vbi Iesus et Maria;
in summa gaudent gloria:
cum tota caeli curia.
Ad quam nos post multa pericula:
perducat agnus sine macula.
Cui laus per aeterna saecula.
Amen.

EXPLICIT VITA BONI MONACHI.

MANVALE PARVVLORVM

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SEQVENTIS QVI DICITVR MANVALE PARVVLORVM.

De vocatione parvulorum ad Christum . . Cap. I·
De doctrina Iesu et humilitate eius . . . . Cap. II·
De puritate et sublimitate sancti Iohannis apostoli . . . . . Cap. III·
De sanctitate et excellentia sancti Pauli apostoli . . . . . Cap. IIII·
De magna humilitate sancti Francisci . . . Cap. V·
De bona imaginatione contra malum . . . Cap. VI·
De brevitate omnis rei sub caelo . . . . . Cap. VII·
De devotione sancti David regis in oratione . Cap. VIII·
De paupertate spiritus propter Christum . . Cap. IX·
De studio simplicis fratris in passione Christi Cap. X·
De puritate multarum virtutum . . . . . Cap. XI·
De laude Dei ex ore iusti . . . . . Cap. XII·
De arta custodia cordis et oris . . . . . Cap. XIII·
De frequentia orandi . . . . . Cap. XIIII·
De aeternae vitae praemio promerendo . . . Cap. XV·

EXPLICIVNT CAPITVLA LIBRI SEQVENTIS.

INCIPIT LIBER QVI DICITVR
MANVALE PARVVLORVM.

DE VOCATIONE PARVVLORVM AD CHRISTVM.

CAPITVLVM I.

Sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum caelorum.

Haec sunt verba Iesu Christi summi pastoris et caelestis doctoris nostri in schola Dei; quae discipulis suis et turbis loquebatur: cum parvuli sibi a parentibus praesentarentur ad tangendum. Quos pius magister et dulcis Dominus sicut sanctus Marcus narrat complexans et manus suas super eos imponens benedicebat eos et ait. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus: non intrabit in illud. Et iterum secundum Matthaeum ad omnes maiores ait. Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli: non

intrabitis in regnum caelorum. O bone pastor et dulcis magister quam dulciter loqueris et veraciter doces: et paucis verbis ostendis omnibus hominibus rectam viam tendendi per humilitatem ad regnum Dei. Haec sancta verba consolantur humiles et pauperes; arguunt superbos et divites: confortant simplices et innocentes. Deus enim superbis resistit; humilibus autem dat gratiam in praesenti: et gloriam in futuro. In omnibus ergo bonis quae agis loqueris et cogitas; ab humilitate noli recedere ne perdas totum quod facis. Nam nulla valent opera bona nisi fuerint in humilitate fundata; et caritatis melle perfusa: et ad honorem Dei pura intentione facta. Cave superbiam: omnium vitiorum foveam et virtutum ruinam. Esto innocens et quasi parvulus sine dolo, ab omni malitia purus: et eris Deo et hominibus dilectus et in te pacatus.

DE DOCTRINA IESV ET HVMILITATE EIVS.

CAPITVLVM II.

DIscite *a me* ait Iesus: *quia mitis sum et humilis corde.*

O humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam vanitatis nostrae;

qui de parvis bonis cupimus laudari et de multis malis nolumus vituperari. O bone Iesu tu pro nobis multa mala pertulisti quae non fecisti; et innumera nobis bona contulisti quae non meruimus: nec digni sumus habere. Nam totum gratiae est et immensae pietatis quicquid boni fecisti nobis et adhuc cotidie facis: parcendo delictis nostris et benefaciendo in multis. Gratias semper tibi pie Deus; sed vae nobis ingratis tepidis et superbis: pro innumeris beneficiis tuis et promissis.

DE PVRITATE ET SVBLIMITATE SANCTI IOHANNIS APOSTOLI.

CAPITVLVM III.

Ecce puer meus electus quem elegi. Quid fecit beatum Iohannem apostolum tam clarum ingenio, et tam praedilectum a Domino nostro Iesu Christo; ut tam alta caperet et scriberet de Deo ultra omnes doctores in mundo? Magna puritas eius mentis et corporis; perfecta quoque caritas ardens erga Deum et proximos suos non verbo tantum et lingua: sed opere et veritate. Hoc enim ipse aperte testatur in Epistula sua de gemina caritate scribens. Si ergo non

potes cum sancto Iohanne evangelista altiora contemplari de sancta Trinitate; stude humilitatem et patientiam Christi cum infirmo Lazaro cogitare et sequi. Et si non vales cum sancto Paulo ad tertium caelum evolare: stude cum beata Maria Magdalena ad pedes Iesu plorare et veniam petere.

DE SANCTITATE ET EXCELLENTIA SANCTI PAVLI APOSTOLI.

CAPITVLVM IIII.

Vas electionis mihi est iste. Quid fecit sanctum Paulum tam magnum et sublimem apud Deum? Contemptus mundi et omnium terrenorum cum abnegatione sui ipsius et mortificatione carnis: et abiectione omnis temporalis honoris. Quid plus super haec omnia? Perfectus amor Dei et proximi sine aliquo lucro terreno et proprio commodo Christo serviendo in hoc mundo. Quid inter multas revelationes sibi a Deo factas magis docuit et commendavit fidelibus Romanis Corinthiis Galatis et ceteris omnibus in universo orbe constitutis? Iesum Christum et hunc pro nobis crucifixum. Pro quo ipse multa pati optavit, et mori non formidavit: quia sacra

stigmata passionis eius cotidie in corde et corpore suo pro nomine eius et amore portavit.

DE MAGNA HVMILITATE SANCTI FRANCISCI.

CAPITVLVM V.

Hic est qui contempsit vitam mundi. Quid fecit humilem et sanctum Franciscum tam devotum et Deo dilectum in hac vita; et tam altum in gloria? Vere profunda humilitas sua. Et quia inter omnia beneficia divina et exercitia cotidiana passionem Christi et sacra vulnera doloris eius, immensi amoris plena in mente portavit; recoluit, condoluit gravissime ponderavit, amarissime flevit: et ardentissime amavit. Nam magna gratia confertur humilibus: et passionem Christi cotidie recolentibus.

Verus enim humilis non se reputat nec elevat de bonis quae facit; sed omnibus viliorem se aestimat: et cunctis inferiorem veraciter confitetur. Hic propria mala sua inspicit et plangit: et aliorum bona videns congaudet; pro quibus Deum laudat et benedicit: orans ut sui misereatur et a malis liberet.

DE BONA IMAGINATIONE CONTRA MALVM.

CAPITVLVM VI.

Vade retro satana. O miles Christi loquere haec verba contra omnia mala phantasmata diaboli: nam arma tua sunt sancta verba et opera Christi. Igitur contra ignita carnis iacula: pensa amara Christi vulnera. Contra taedium cordis: sit semper in ore dulcis Iesus. Contra omnes malas suspiciones et indignationes tuas de aliis; cogita omnes culpas tuas quas fecisti ab initio nativitatis tuae usque modo: et desiste indignari. Sint omnia bona tua aliis communia, et ad laudem Dei facta; sed mala tibi soli imputa: et ad ferventiorem emendationem converte. Dum vacat tempus et hora ab externo labore: sit protinus psalmus et laus Dei in corde et in ore. Cor non potest diu quiescere nec lingua tacere: aut enim bona aut mala imaginatur; aut tristia pensat, aut laeta revolvit: sicut molendinum quod a vento movetur. Ne ergo mala subito irruant et maculent; sacra verba tamquam munda grana cordi tuo insere: et ea diligenter revolvendo in cibum converte. O utinam tot bona verba dicas

et ores quot otiosa dixisti; et tot bona recogites et rumines: quot mala et noxia cogitasti. Aperi cor tuum Christo et claude diabolo: ut sit anima tua in caelo et non in saeculo. Loquitur tibi Christus in omni verbo Dei: et in omni libro scripto digito Spiritus sancti. Quaecumque enim in scripturis sanctis legis scribis et intellegis: solacia sunt animae fidelis in tribulatione; et remedia contra diaboli venena: et revocant cor vagae mentis ad Deum suum in caelum.

DE BREVITATE OMNIS REI SVB CAELO.

CAPITVLVM VII.

Vanitas omnis homo vivens. Hodie homo est: et cras non invenitur. Perit dives, perit pauper, perit iuvenis, perit senex. Perit pulcher, perit niger: perit doctus, perit indoctus. Perit magnus, perit parvus: perit nobilis, perit ignobilis. Perit dominus, perit servus: perit praelatus, perit subditus. Perit honoratus, perit refutatus: perit magister, perit discipulus. Perit clericus, perit laicus: perit canonicus, perit monachus. Perit theologus, perit astrologus: perit medicus, perit in omni arte peri-

tus. Ecce omnia pereunt: praeter amare Deum et iuste vivere.

DE DEVOTIONE SANCTI DAVID REGIS IN ORATIONE.

CAPITVLVM VIII.

QVis enim in omnibus sicut David fidelis; pergens ad imperium regis caelestis?

Hic in die fuit miles fortis in bellando contra hostes suos: et in nocte devotus monachus orando cum gemitu et lacrimis pro peccatis suis commissis. Maxime autem regratiabatur Deo pro innumeris beneficiis sibi specialiter datis, et omnibus creaturis generaliter collatis: quas ad gloriam sancti nominis sui mirabiliter creavit et ornavit. Et ne de bonis acceptis superbiret: ait Deum laudando. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et ne in adversis deficeret ait. Adiutor meus esto Domine, ne derelinquas me. Et ne umquam ingratus esset ait. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum.

DE PAVPERTATE SPIRITVS PROPTER CHRISTVM.

CAPITVLVM IX.

Tamquam nihil habentes in hoc mundo: et omnia possidentes cum Christo.

O sancta paupertas spiritus super omnes divitias mundi et honores amanda; quam Christus docuit et usque in finem vitae servavit: et omnibus perfectis pro exemplo reliquit. Hanc multi sapientes nobiles divites et potentes Christum sequentes: propter regnum caelorum sponte elegerunt. O quanta libertas purae animae: quae nihil habere desiderat de statu et ornatu saeculi amore Iesu Christi. Vere magna securitas conscientiae et iucunditas cordis stare in subiectione et oboedientia: et propter Christum crucifixum se abnegare plene usque ad mortem. O caeleste manna superbis absconditum, humilibus revelatum innocentibus propinatum, a devotis praegustatum: qui pro speciali solacio recolunt Christum pro se passum et crucifixum.

DE STVDIO SIMPLICIS FRATRIS IN PASSIONE CHRISTI.

CAPITVLVM X.

Salus tua ego sum: dicit Dominus. Plus sanctitatis et puritatis, scientiae et prudentiae contra omnes nequitias diaboli et errores mundi ac sordes vitiorum invenit simplex et innocens frater in vita et passione Domini: quam altus speculator et subtilis disputator in consideratione totius machinae mundi. Vitam et passionem Christi docemur imitari: machinam mundi speculari sine laude et gloria Dei vanitas est et stultitia. Melius est orare humiliter Deum: quam subtiliter perscrutari caelum. Dei enim est gubernare omnia qui creavit omnia: hominis est servare mandata eius et cavere peccata. Omnes sancti essemus: si ista faceremus. Sed quia multi ista non faciunt nec bene vivunt: ideo multa mala eis iusto Dei iudicio contingunt. Fuge ergo frater saeculum; intra laetus claustrum: sequere sanus Christum per artam viam ad caelum. Bonum est tibi cum uno oculo intrare caelum quam cum duobus in infernum: ubi erit fletus et stridor dentium pro omnibus malis in perpetuum. Vae eis.

DE PVRITATE MVLTARVM VIRTVTVM.

CAPITVLVM XI.

Estote rationabiles sine dolo. O sanctum et suave verbum: ex ore sancti Petri apostoli prolatum. Placet namque maxime Deo et angelis eius castitas cum humilitate; scientia sine inflatione: prudentia sine praesumptione; eloquentia sine vana gloria: laetitia sine dissolutione; tristitia sine amaritudine: patientia sine murmure; locutio sine mendacio: responsio sine fallacia; promissio sine crastino: laudatio sine vituperio; dilectio sine vitio: oratio sine taedio; gratitudo Deo pro omni bono sine termino: meditatio sine dispersione; contemplatio sine obscuratione: operatio sine inquinatione; quies sine pigritatione: unio animae cum Deo sine intermissione. Ecce verus Israelita: in quo dolus non est. O quam bonus Deus Israel: his qui recto sunt corde. Dic ergo cum David in psalmo: neglecto omni bono terreno intime orando. Mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino spem meam. Sicut fuerit voluntas in caelo: sic fiat. Nil aliud volo, nil cupio nisi te solum Domine: pro

omni labore meo et praemio in caelo. Amen.

DE LAVDE DEI EX ORE IVSTI.

CAPITVLVM XII.

Rectos decet laudatio. Beatus qui omnia bona opera sua facit cum pura intentione: simpliciter ad laudem Dei. Beatus qui omni tempore cor suum ad beneplacitum Dei dirigit: et nullum proprium commodum finaliter quaerit. Beatus qui omnia immunda idola antiqui hostis a se longe proicit: et ad arma Christi crucifixi humiliter in angustiis confugit et orat. Hic bene procedit; et cum Iesu ubique per mare et aridam pergit: donec ad patriam cum eo perveniat.

O Iesu dulce nomen super omnia nomina sanctorum in caelo et in terra: cui omne genu flectitur caelestium terrestrium et infernorum, angelorum et hominum. Tu via iustorum, gloria beatorum; spes egenorum, salus infirmorum: amator devotorum, et consolator omnium tribulatorum. Esto mihi adiutor et protector in omni necessitate: propter nomen sanctum tuum benedictum in saecula. Cum pauper fuero laudo te: cum tristis fuero

laudo te. Cum laetus fuero laudo te: ubicumque fuero semper laudo te. Amen.

DE ARTA CVSTODIA CORDIS ET ORIS.

CAPITVLVM XIII.

Cor mundum crea in me Deus. Haec oratio valde utilis est et potens contra omne vitium dure temptans: et subito cordi irruens. Nil laboriosius et utilius quam custodire cor a vanis phantasiis: et os a verbis otiosis. Nil fructuosius quam spiritualibus vacare exercitiis; orando meditando, studendo psallendo: et caritatis opera libenter faciendo. Pauca verba sufficiunt ad necessitatem, longa texunt superfluitatem, levia inducunt vanitatem; curiosa important distractionem: dura excitant turbationem; alta generant elationem: simplicia ostendunt humilitatem; vera parant iucunditatem: falsa provocant indignationem; bona merentur laudem; mala poenam: sancta vita aeternam gloriam. Bonus ergo custos cordis sui sollicite etiam custodit ostium oris sui: ne perdat gratiam devotionis interius per incuriam sermonis exterius.

DE FREQVENTIA ORANDI.

CAPITVLVM XIIII.

Quoniam oportet semper orare. O quam dulcis et salubris admonitio; quam pura et sancta oratio caelos tangens et terram deserens: Deo colloquens et hominibus tacens. Hoc itaque verbum Christus ait ad apostolos suos: et ad omnes religiosos. Sicut enim corpus vivit et nutritur cibis terrenis: ita anima sacris verbis et orationibus, et meditationibus confortatur. Dat fiduciam orandi ingens dolor cordis pro commissis; et humilis confessio oris de perpetratis: cum intentione se emendandi in istis. Nil quippe bona voluntate ditius et Deo acceptius: et animae nostrae salubrius. Totiens namque Deum oras: quotiens pro peccatis tuis gemis et doles. Et quia cotidie peccas; ideo cotidie etiam orare et gemere debes: ac veniam petere pro offensis. Multum oras si multum doles: parum oras si parum doles. Parum impetras si parum attendis ad ea quae legis et cantas. In multis fit excessus: sed cotidiana oratio et gemitus cordis cum fervore sancti Spiritus expurgat languores hos omnes. Qui non orat et gemit pro culpis cotidianis: poenam sibi

auget in poenis futuris. Non ergo pigeat semper orare et Deo devote gratias agere: quia ipse numquam cessat nobis benefacere. Ideo nullus locus, nullum tempus, nullum opus, nullus labor, nullus dolor ab orando nos impedire debet: super quos Deus oculos suos apertos hic et ubique semper habet. Quotiens enim Domini Dei tui recordaris et gemis: totiens cum eo secrete loqueris et oras. Si non potes semper voce orare: poteris tamen et debes mente et desiderio ad Deum clamare gemere et plorare. Semper enim Deum orat qui semper bona cogitat: bona loquitur, et bona facit ad honorem Dei. Amen.

DE AETERNAE VITAE PRAEMIO PROMERENDO.

CAPITVLVM XV.

Ecce merces vestra multa est in caelo. Omne gaudium praesens breve est et heu multis malis involutum; regnum autem Dei gaudio semper plenum et aeternum: supra omnem sensum et intellectum elevatum. Hoc nullus tibi dare potest nec auferre; nisi solus Deus creator omnium, iudex vivorum et mortuorum: reddens singulis pro meritis

operum suorum. Propter hoc regnum consequendum promerendum et aeternaliter possidendum: fortiter est certandum, laborandum, alacriter vigilandum, et ferventer orandum; saepe ieiunandum, saepe gemendum, saepe lugendum, saepe confitendum, saepe communicandum: devote ministrandum, devote celebrandum; devote psallendum, diligenter studendum, stricte silendum, libenter serviendum, prompte oboediendum; patienter omne grave ferendum, omne carnale cito respuendum, omne saeculare ubique vitandum, omne turpe fugiendum, omne honestum sectandum, omne vitiosum odiendum, omne virtuosum amandum; omne curiosum amputandum, omne simplex et purum eligendum: omne terrenum relinquendum, omne caeleste et divinum summe amplectendum.

Haec est via vitae caelestis et formula renuntiationis saeculi in statu religionis: ducens parvulos mites et castos ad aeternae vitae beatitudinem, et gloriam sanctorum aeternaliter cum Christo perfruendam. Amen.

EXPLICIT LIBELLVLVS QVI DICITVR MANVALE PARVVLORVM.

DOCTRINALE IVVENVM

INCIPIVNT CAPITVLA LIBELLVLI SEQVENTIS QVI DICITVR DOCTRINALE IVVENVM.

De recommendatione sacrae scripturae . . . Cap. I.
De differentia clerici et monachi . . . . . Cap. II.
De thesauro eloquiorum divinorum . . . . Cap. III.
De bonis scriptoribus librorum . . . . . Cap. IIII.
De firma custodia librorum . . . . . Cap. V.
De ornatu claustri bene fundati . . . . . Cap. VI.
De indocto clerico sine sacris libris . . . . Cap. VII.
De cantu ecclesiae in hymnis et psalmis . . Cap. VIII.
De festis Christi et reliquiis sanctorum . . Cap. IX.
De moribus humilis fratris et vitiis superbi et pigri . . . . . Cap. X.
De abnegatione sui et omnium rerum . . . Cap. XI.
De desiderio caelestium gaudiorum . . . . Cap. XII.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT LIBELLVLVS QVI DICITVR DOCTRINALE IVVENVM.

DE RECOMMENDATIONE SACRAE SCRIPTVRAE.

CAPITVLVM I.

Fili a iuventute tua excipe doctrinam: et usque ad canos invenies sapientiam.

Igitur ante omnes artes disce sacram scripturam legere et recte intellegere, firmiter credere, bene ac iuste vivere: ut ad vitam aeternam possis Christo favente feliciter pervenire. Nam ignorantia divinae legis mater est erroris et ianua mortis: privatio honoris, virtutis et salutis. Verbum autem Dei et doctrina Christi lumen vitae; salus mundi, porta caeli, cibus animae: iucunditas cordis, Deum super omnia amantis. Dicit metrista devotus monachus factus.

Hoc est nescire: sine Christo plurima scire.

Si Christum bene scis: satis est si cetera nescis,
Noxia nempe tibi.

Nil ergo sacrae scripturae praeponendum nil Christo superponendum: nil sibi coaequandum, qui dicit. Ego sum ostium ovium: per me si quis introierit salvabitur. Et iterum. Ego sum via veritas et vita. Nemo venit ad Patrem: nisi per me. Nemo venit ad caelum: nisi per me. Nemo liberatur ab inferno: nisi per me. Vnde sanctus Petrus contra Iudaeos libera voce clamat et dicit. Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oportet nos salvos fieri: nisi nomen Domini nostri Iesu Christi filii Dei.

DE DIFFERENTIA CLERICI ET MONACHI.

CAPITVLVM II.

Oves meae vocem meam audiunt ait Dominus.

Ille vocem Iesu audit qui mundum spernit, carnem domat, diabolo resistit, et vitia sua vincit: et Iesum ex toto corde suo diligit et pro posse sequitur. Est magnum vitium in scholis loqui incongrue latinum; sed maius est vitium coram angelis offendere cotidie Deum peccatis: nec

inde dolere. Est etiam magnum vitium apud logicos nescire solvere argumentum: sed maius est vitium apud monachos frangere ieiunium et silentium. Est magna confusio apud rhetores titubare in lingua et verbis; sed maior est reprehensio apud devotos cantores errare in hymnis et psalmis: nec attendere ad sensum verborum in scripturis. Dicitur quod scientia non habet hostem nisi ignorantem; et conscientia non habet acriorem arguentem: nisi se ipsam male se regentem. De nullo magis conqueri et indignari habes quam de te ipso o homo inoboediens Deo: conscientia propria te accusante absque teste aliquo in iudicio. Cum enim contra virtutem et conscientiam agis: te ipsum laedis et confundis.

Igitur in omnibus agendis: sis custos cordis et oris ad malum cito pronus. Ad haec iuvant optime in solitudine manere: orare studere scribere operari.

DE THESAVRO ELOQVIORVM DIVINORVM.

CAPITVLVM III.

Laetabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa.

Vbi? In libraria nostra: multis sacris

codicibus ornata. Nam libri doctorum: thesauri sunt clericorum. Docent enim ignaros, arguunt otiosos; excitant torpentes, stimulant dormientes: corrigunt errantes, erigunt corruentes; terrent ridentes, consolantur lugentes: laudant humiles, vituperant superbientes; confortant debiles, reprimunt praesumentes: concordant rixantes, mitigant turbatos; laetificant tristes, subsannant vane gloriantes: iustificant pios, damnant perversos; sanant languentes, salvant paenitentes: honorant veraces, confundunt fictos et mendaces; defendunt iustos et misericordes: vindicant omnes iniqua agentes, sicut scriptum est in psalmo. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. A quibus malis nos semper custodiat Iesus Christus Dominus noster. Amen.

DE BONIS SCRIPTORIBVS LIBRORVM.

CAPITVLVM IIII.

Audi Israel praecepta Domini: et ea in corde tuo quasi in libro scribe.

O dulce verbum et utile consilium cordi firmiter inserendum: et piae memoriae iugiter commendandum.

Sed quia cor hominis est instabile et memoria multum vaga et labilis; ideo oportet adhibere infirmo animo utile remedium contra oblivionem et frequentem errorem: ut verba Dei scribantur in libro, ne pereant semina sancta ex ore prolata. Quoniam quidem vox audita cito perit: littera autem scripta diu manet ad legendum et praedicandum. Prodest autem multum exemplar bonum et correctum ad bene scribendum: et delectat ad saepe legendum. Vnde quidam amator scripturae ait sacros libros scribenti.

Scribe correcte: distincte, protrahe recte. Nec nimis festines: ne imperfecta multa relinquas. Ille enim rem bene facit: qui nil neglegit quod status et ordo rei requirit. Non conturberis in labore prae taedio; nam Deus est causa omnis boni operis: qui reddit unicuique propriam mercedem secundum piam intentionem in caelis. Cum mortuus fueris non desperabis; orabunt enim pro te: qui legerint volumina tua olim a te satis bene scripta. Dicit Dominus in Evangelio. Qui dederit potum calicem aquae frigidae sitienti: non perdet mercedem suam. Multo magis qui dat aquam vivam sapientiae salutaris legenti in libro digito Dei scripto: non perdet mercedem suam in caelo.

DE FIRMA CVSTODIA LIBRORVM.

CAPITVLVM V.

Ponite librum istum in latere arcae foederis in testimonium coram Domino: ut sit in bona custodia et magna reverentia coram sacerdotibus et omni populo.

Haec verba et multa alia praecepta locutus est Moyses famulus Domini ante mortem suam: mandans levitis custodire librum legis in arca Dei aurea diligenter obserata. Igitur cum magna cautela et firma clausura servanda est libraria sacrorum eloquiorum ab omni putredine pulveris; ab incendio ignis, et stillicidio umoris: a raptu furis et strepitu clamoris; a luto pedum et morsu vermium: ab omni macula et ruptura foliorum. Non enim dignus est in sacro libro legere: qui nescit bene custodire, et in apto loco neglegit reponere. Sic accipe librum in manibus tuis ad legendum: sicut Simeon iustus puerum Iesum in ulnas suas ad portandum et osculandum. Et postquam legisti claude librum; et gratias age de omni verbo ex ore Dei: quia invenisti in agro Dominico thesaurum occultum. Ab omni igitur sorde servandus est thesaurus ecclesiae, a sanctis doctoribus ela-

boratus et editus; a bonis scriptoribus scriptus et collectus: pro multorum consolatione a Deo provisus.

DE ORNATV CLAVSTRI BENE FVNDATI.

CAPITVLVM VI.

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Placet namque Deo et sanctis eius claustrum bene fundatum; a tumultu saeculi segregatum: multis devotis fratribus et sacris libris ornatum. Hoc etiam pie creditur placere omnibus Deum amantibus et divina libenter audientibus, quia claustrum summi regis est castrum, et caelestis imperatoris palatium: paratum religiosis personis ad habitandum et Deo fideliter serviendum. Vere locus iste sanctus est Deo et angelis acceptabilis; daemonibus terribilis, devotis amabilis, ad obsecrandum Deum multum optabilis: delectabilis suavis et honorabilis. Non est hic aliud sicut legimus et canimus nisi domus Dei ad orandum: aula Dei ad laudandum; chorus Dei ad cantandum: altare Dei ad celebrandum; porta Dei ad intrandum caelos: scala Dei ad transcendendum nubes; atrium Dei ad sepeliendum mortuos: hospitale Dei ad re-

cipiendum peregrinos; cenaculum Dei ad reficiendum pauperes: mensa Dei ad communicandum aegros. Sicut sancti angeli in caelo Deum semper laudant, et stellae in firmamento caeli clare fulgent: sic religiosi et devoti monachi nocte surgentes hymnos et psalmos in choro cantant; Deo laudes immolant, angelos laetificant, daemones fugant: et se ipsos alarum vocibus excitant ne dormitent. Sicut nobilis civitas muris portis et seris firmatur: sic etiam religiosum monasterium multis devotis fratribus sacris libris et doctis viris, tamquam gemmis et pretiosis lapidibus decoratur, ad laudem Dei et honorem omnium sanctorum suorum; qui cum eo gaudent nunc in caelis: quia secuti sunt vestigia passionis eius in terris.

DE INDOCTO CLERICO SINE SACRIS LIBRIS.

CAPITVLVM VII.

Servus tuus ego sum: da mihi intellectum Domine.

Nam legere et non intellegere: neglegere est. Et quomodo possum intellegere nisi aliquis docuerit me? Et quis melius docebit quam tu Deus in omnibus? Beatus homo quem tu erudieris Domine: et

de lege tua docueris eum. Melior est auditio et eruditio doctrinae tuae: negotiatione auri et argenti et cunctis opibus. Igitur ad te Domine confugio: doce me facere voluntatem tuam et relinquere meam. In hoc stat totum quod summe est necessarium: ut omni tempore dicam. Pater fiat voluntas tua: sicut in caelo et in terra. Nihil mihi melius: nil animae meae salubrius. Domine tu omnia bona mea. Tu doctor meus tu liber meus; quia sine te indoctus sum: et ad omnia inutilis. Vae clerico indocto et sine sacris libris: qui sibi et aliis saepe est causa erroris. Nam clericus sine sacris libris quasi miles sine armis: equus sine frenis; navis sine remis: scriptor sine pennis; avis sine alis: ascensor sine scalis; sutor sine subulis: tector sine tegulis; faber sine malleis: sartor sine acu et filis; rasor sine cultris: sagittator sine iaculis; viator sine baculo: caecus sine ductore. Omnes isti parum vel nihil valent nec proficiunt: sine instrumentis et bono instructore. Similiter claustrum et congregatio clericorum sine sacris libris: quasi coquina sine ollis mensa sine cibis; puteus sine aquis: rivus sine piscibus; saccus sine vestibus: hortus sine floribus; bursa sine pecuniis: vinea sine botris; turris sine custodibus: domus sine

utensilibus. Ab omnibus his malis et animae damnis custodiat nos pius Dominus noster Iesus Christus et sit ipse nobis omnia in omnibus nunc et in perpetuum. Amen.

DE CANTV ECCLESIAE IN HYMNIS ET PSALMIS.

CAPITVLVM VIII.

Laus eius in ecclesia sanctorum. Surge frater qui dormis: et illuminabit te Christus. Surge piger, campana pulsat vocat te Christus. Surge cito: periculum est in mora. Ecce Iesus venit cum Maria; et omnis angelorum chorus te expectat cum corona: quam potes promereri in hac hora. Sed satanas e contrario suggerit. Iace et dormi adhuc modicum: satis mane est, adhuc tempestive venies. Sic suadet et blanditur caro fragilis; trahit et decipit hostis callidus: cum ei oboeditur et dormitur. Nihil enim est tam bonum sanctum et iucundum, tam divinum et salutiferum: quin malignus daemon hoc nititur impedire et ad malum semper trahere. Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo; unde ergo habet zizania? Inimicus hoc fecit. Sed quomodo haec evellam Domine? Respon-

det sanctus Petrus. Resistite ei fortes in fide. Et beatus Iacobus similiter. Resistite diabolo: et fugiet a vobis. Si malum ingerit: noli consentire. Si delectat caro: respue contere et repelle. Igitur invocandus est Iesus et Spiritus sanctus cum omnibus donis suis qui humilibus dat gratiam: ut det etiam tibi virtutem contra diaboli malitiam. Spiritus enim sanctus suggerit menti semper bona; humilia pudica sobria honesta pacifica: simplicia benigna devota caelestia aeterna. Sed heu spiritus malignus fallacia plenus aut aperta mala suggerit; aut si bona quaedam praedicat: mala intentione facit ut seducat. Ipse omnis doli artifex mille modis impugnat: repulsus redit et temptat. Cum bona agis dolet; si dimittis gaudet: mala autem suadere numquam cessat. Sit ergo crebro devotus psalmus in ore; dulcis Iesus in corde: sancta Maria in voce. Nam his auditis nominibus fugiet longe a te hostis immundus. Quot enim sancta verba nominas: tot iacula in hostem iactas. Si cessas orare et legere; hostis incipit vincere et gaudere. Sed si in prece perseveras: fugit superbus et confusus. Ante orationem omnia praesentia exclude; in oratione Iesum Christum tibi praefige: aut in praesepe aut in cruce. Post orationem gratias age: et quocumque

ierit cum eo vade et permane. In omnibus quae agis cogitas et loqueris: sit finis. Benedictus Deus de omni bono in caelo et in terra.

DE FESTIS CHRISTI, ET RELIQVIIS SANCTORVM.

CAPITVLVM IX.

Domine dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae. Haec domus tua Deus multipliciter et sublimiter decoratur festis tuis et sanctorum tuorum reliquiis venerandis in multis locis: unde devotio fidelium maxime excitatur ad laudandum. Decorasti Domine caelos sanctis angelis; firmamentum sole luna stellis: aëra avibus aquas piscibus; terram hominibus et bestiis: cum aliis innumeris bonis pro usibus nostris. Et nunc in fine saeculorum pro speciali munere dedisti te ipsum nobis in sacramento tamquam dulce manna in cibum: ne essemus in hoc mundo sine Deo et angelorum cibo. Et ideo omnis locus et ecclesia ubi fuerit hostia consecrata in altari vel in arca clausa; debet haberi in maxima reverentia: cum omnibus libris vasis ac vestibus ad cultum Dei pertinentibus. Vide ergo et considera mira Dei opera in sancta ecclesia.

Templa Christi et sanctorum castra sunt Christianorum; ut in eis vigilent et orent: et contra diabolum pugnent.

Festa Christi et sanctorum, designant gaudia caelorum: ubi nunc cum Christo regnant, qui mundum contempserunt.

Nomina sanctorum et praecipue Iesus et Maria sunt plagae et tonitrua daemoniorum: quibus terrentur ut fugiant a facie eorum.

Gesta sanctorum confirmant corda pusillorum: ut constantes sint, et per artam viam eos sequantur.

Scripta sanctorum lucernae sunt viatorum: ne in fide errent sed sanctorum dictis firmiter credant.

Signa sanctorum confundunt facta malorum: ne bonos opprimant, et in suis malitiis glorientur.

Ossa sanctorum roborant fidem populorum ne mori timeant: sed cum electis resurgere confidant.

Imagines sanctorum excitant mentes devotorum: ad amorem et venerationem eorum ut pro nobis orent.

Picturae sanctorum scripturae sunt laicorum, ut videant quid agere et quo tendere debent.

Organa musicorum in ecclesia movent corda tepidorum, ad optanda aeterna praemia beatorum.

Cantica psalmorum accendunt animas aridorum: ad pristinum fervorem per ora multorum.

Carmina hymnorum recreant aures clericorum ut cantent et exultent in conspectu Dei et angelorum. Sicut fistulae multae in organo dulcem sonum reddunt audientibus; sic multi fratres concorditer psallentes valde placent Deo: et omnibus caeli civibus. Omnes ergo simul oremus: et Christum invocemus. Ad societatem civium supernorum: perducat nos rex angelorum.

DE MORIBVS HVMILIS FRATRIS, ET VITIIS SVPERBI ET PIGRI.

CAPITVLVM X.

Respexit Deus in orationem humilium: et non sprevit preces eorum.

Optima doctrina docens nos humiliter orare: et de misericordia Dei non desperare. Vide ergo Domine humilitatem meam, vilitatem meam, infirmitatem meam, et cotidianum defectum meum; et dimitte mihi omnia peccata mea propter nomen sanctum tuum: et merita sanctorum tuorum in caelo et bonorum in terra. Non veniat mihi pes superbiae, nec vana gloria decipiat me: nec mala tristitia de-

iciat me. Nulla quoque despectio conturbet me: ne forte peccem tibi per impatientiam meam. Esto mihi adiutor in bonis: et protector a malis Deus meus misericordia mea. Tu spes mea a iuventute mea: consolator meus in omni tribulatione mea. Tu salutare vultus mei Deus meus et nemo alius. In te tota salus virtus et gloria mea.

DE HVMILI FRATRE.

Frater humilis et devotus: paupertatis amator, simplicitatis sectator; patientiae servus, oboedientiae filius: castitatis custos, innocentiae testis; concordiae socius, disciplinae discipulus, pacis amicus: sibi rigidus, aliis benignus. Hic secretum quaerit, tumultum fugit, silentium amat, longa colloquia vitat; soli Deo vacare appetit, omnia terrena despicit, omni tempore cum Christo esse desiderat.

DE SVPERBO FRATRE.

Frater superbus heu humili contrarius; audax et austerus: vagus et verbosus, multis taediosus, et onerosus; facilis ad iram, difficilis ad veniam petendam: propria quaerit, communia neglegit; raro bene contentus: numquam in se pacatus.

DE PIGRO FRATRE.

Frater acediosus quasi semper infirmus; ultimus fere in omni loco et horis: otio et somno deditus. Tarde ad opus venit, cito inde recedit; pronus ad exitum, segnis ad reditum: laetus ad prandium, tristis ad ieiunandum; velox ad dormiendum, piger ad surgendum: raucus ad cantandum, sonorus ad fabulandum; surdus ad oboediendum: claudus ad laborandum. Tepor cordis gravis animae morbus generat taedium operis: et quaerit solacium foris parvi valoris. Non vincitur melius nisi diligentia boni operis, studio sacrae lectionis: et usu frequentis orationis cum memoria Dominicae passionis. Qui vult vitia vincere oportet eum saepius violentiam facere naturae: et Christi gratiam humiliter implorare et patienter expectare.

DE ABNEGATIONE SVI ET OMNIVM RERVM.

CAPITVLVM XI.

Qui non renuntiaverit omnibus quae possidet: non potest meus esse discipulus.

Domine Deus durus videtur hic sermo tuus; et quis potest eum implere? Audi

fili mi et docebo te: et non erit tibi grave et impossibile facere quod dixi. Dilige me et relinque te: et invenies me in omni loco et tempore. Ego summum bonum et summe desiderabile animae tuae. En sto ante ostium cordis tui et pulso; aperi mihi et introibo ad te: quia ego salus et vita tua. Ego omnia in omnibus: et super omnia amandus et laudandus. Ego totus tuus hic et ubique praesens; sed caecus me non videt, et surdus non audit: et stultus non intellegit haec. Tu ergo esto totus meus et in nullo te quaerens: et sapiet tibi suavissime prae omnibus Deus tuus. Domine verum est quod loqueris: placet mihi omne quod dicis. Igitur relinquam me cito propter te: ne tarde inveniam te. Tu in me et ego in te per amorem: quem accendis in me. Oro te Domine mane apud me libere: ne deficiam relictus a te tamquam exul in carcere, et peregrinus in itinere. Adiuva me et salvus ero: et meditabor in omnibus viis verbis et factis tuis die ac nocte. Diligam te Domine virtus mea pure et perfecte propter te: et omnia a te facta propter te. Nec me nisi propter te: et semper plus quam me. Omnia autem infra te: et te solum super omnia bona in caelo et in terra. Tu solus mihi sufficis plene et perfecte; ideo nil volo nec cupio

nisi te qui es ante omnia et super omnia et in omnibus Deus benedictus in saecula. Amen.

DE DESIDERIO CAELESTIVM GAVDIORVM.

CAPITVLVM XII.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

O dulce et caeleste verbum: laudabunt te. Non se sed te: omnia bona tibi ascribendo, nil sibi vane attribuendo. Sed quomodo laudabunt te? Altissime devotissime, purissime, suavissime, ferventissime, clarissime, securissime felicissime. Quid plura? Noli quaerere ultra ampliora et meliora; ubi Deus est omnia, totus praesens praestans et illustrans omnia: et beatificans omnes et singulos in gloria. O vere vita beata: digne laudanda, summe amanda, maxime desideranda; ubi omnia bona simul perfecte cum Deo et in Deo unita: iucundissime sine amissione et aliqua minoratione perpetue firmissimeque durabunt. Beati ergo omnes qui habitant in domo tua Domine: in saecula saeculorum laudabunt te. Inter haec saepe suspiro exul in mundo elon-

gatus a regno Dei: et cum sancto in psalterio intime oro. O quando consolaberis me quando laetificabis me vultu tuo in regno tuo? Educ de carcere animam meam ut confitear nomini sancto tuo et laudem te cum omnibus sanctis tuis per aeterna saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT LIBELLVLVS QVI DICITVR DOCTRINALE IVVENVM.

HOSPITALE PAVPERVM

INCIPIVNT CAPITVLA TRACTATVLI DICTI HOSPITALE PAVPERVM.

De contemptu omnium mundanorum bonorum Cap. I·
De quinque panibus in deserto huius vitae . Cap. II·
De duplici pugna carnis ac spiritus . . . Cap. III·
De instabilitate humani cordis . . . . . Cap. IIII·
De oboedientia simplicis ac humilis fratris . Cap. V·
De triplici signaculo sanctae crucis . . . Cap. VI·
De pia compassione cum infirmis . . . . Cap. VII·
De perseverantia in bonis inceptis . . . . Cap. VIII·
De variis antiqui hostis insidiis . . . . . Cap. IX·
De scuto bonae voluntatis contra hostes . . Cap. X·
De laude Dei in omni opere bono . . . . Cap. XI·
De vitio vanae gloriae et propriae complacentiae Cap. XII·
De variis bellis impiorum, et patientia piorum Cap. XIII·
De malitia pravorum contra innocentes . . Cap. XIIII·
De invidia diaboli contra salutem hominum Cap. XV·
De armatura Christi et sanctorum contra vitia Cap. XVI·
De utilitate frequentis orationis . . . . . Cap. XVII·
De privatis orationibus quasi iaculis acutis in hostes . . . . . Cap. XVIII·
De versiculis ante initium operis legendis . Cap. XIX·
De septem virtutum gemmis bonae congregationis . . . . . Cap. XX·

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT TRACTATVLVS DICTVS
HOSPITALE PAVPERVM.

DE CONTEMPTV OMNIVM BONORVM MVNDANORVM.

CAPITVLVM I.

Dominus regit me et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit.

Quid habet homo amplius de omnibus bonis suis et divitiis terrenis; nisi victum et vestitum? Vnde ergo superbit? Et cum obierit omnia hic dimittet: et nihil secum sumet, nisi modicum operculum ad tegendum corpusculum suum sepeliendum, postea a vermibus corrodendum. Qui de omnibus praeteritis reddet rationem Deo quibus usus est sive paucis sive multis; tamquam de expensis pro viatico sibi concessis: quae cum usura stricte requirentur. Quantumcumque aliquis magnus fuerit divitiis vel honoribus sublevatus; non est ex hoc sanctior, nec perpetuus bonorum

suorum dominus, sed tantum servus conductus ad tempus sub potestate superioris Domini sui caelestis regis et aeterni imperatoris ac iudicis: qui omnia tribuit ad lucrum bene agendi, non ad spatium et causam peccandi. Reddet autem pius Dominus mercedem congruam immo ultra condignum bonis servis suis, pro parvo labore aeternam requiem; pro brevi tristitia aeterna gaudia: pro omni contumelia et iniuria pro se passa aeternam gloriam et coronam. Dat etiam nunc unicuique dona sua quantum sibi placuerit; secundum occulta iudicia sua iusta et recta: in omni loco et tempore sine errore. Nam bonis omnia ad bonum ordinat: et malis ad poenam convertit; ita ut nemo de iudiciis Dei iuste conqueri possit, nisi de se ipso indigno et ingrato: meliora de proximo optima sentiens semper de Deo.

Quidam honorabilis vitae sacerdos in partibus Hollandiae post mortem illustris domini sui praedicavit sermonem in populo dicens. Dominus noster comes Hollandiae mortuus est: carissimi oretis pro eo. Fuit hic parvo et brevissimo tempore; habens aliquos usufructus et reditus annales: quos iam amisit et secum sumere non potuit. Si modo haberet aliqua hereditaria manentia bona: maxime sibi convenirent.

Cum quidam nobilis princeps mori deberet, ait coram multis sibi astantibus ministris. O qui semper pauper custos ovium fuisset: securius mori posset quam ego.

Alius quidam magnus dominus cum aegrotaret: venerunt multi postulantes aliquid pro memoriali et servitiis impensis. O domine domine quid ego habebo; et quid dabitis mihi modo? Tunc ille ait. Ecce omnes isti quae sua sunt quaerunt; et nemo de anima mea cogitat: et ego ignoro ubi hac nocte hospitabo et manebo. Et sic mortuus est et sero paenitens cognovit omnia mundana esse vana et deceptoria quae quasi in momento et tamquam fumus evanescunt. Felix ergo pauper rebus et in virtutibus dives: qui cum propheta in fine vitae suae dicere potest confidenter. Dominus regit me et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit propter nomen sanctum suum.

DE QVINQVE PANIBVS IN DESERTO HVIVS VITAE.

CAPITVLVM II.

Non in solo pane vivit homo: sed in omni verbo Dei.

Deus Dominus salvator noster locutus

est olim antiquis sanctis per legem et prophetas; et nunc adhuc nobis cotidie loquitur in scripturis sanctis per sanctos doctores veteris ac novi Testamenti expositores: quid credere et qualiter vivere et Deo servire debeamus. Libenter ergo lege et scribe verba sanctorum ex ore Dei: pro salute multorum.

Dixit devotus sacerdos dominus Florentius Daventriensis uni de fratribus suis. Indifferens mihi est nec multum refert, utrum in antiquo vel in novo Testamento lego: utrumque enim Deus fecit. Cum venerabilis magister Gerardus Groot horas legeret cum discipulo suo: postea ab eo quaesivit. Intellegis bene Iohannes quae legis? Qui respondit. Non omnia. Dixit ergo sibi secrete. In singulis versibus et verbis psalmi varius et mysticus sensus mihi occurrit. Gratias Deo et sanctis doctoribus: qui me fideliter variis sensibus instruxerunt. Igitur de misericordia et gratia Dei accipe quinque panes in deserto huius vitae: ad virtuose vivendum utiles et efficaces. Primus panis est dolor cordis de omnibus malis praeteritis in saeculo gestis. Secundus est confessio oris de cotidianis defectibus in ordine commissis: et de magna neglegentia multi boni operis. Tertius est panis divinae consolationis in

oratione: de spe veniae et de remissione peccatorum. Quartus est panis gratificationis pro beneficiis a Deo acceptis: tam in prosperis quam in adversis.

Pro quibus omnibus Deus sit iugiter benedictus cuius misericordiae non est numerus: qui usque modo non desinit benefacere nobis. Quintus est panis internae iubilationis et contemplationis: de spe aeternae beatitudinis, et magnitudine futurae gloriae cum Deo et omnibus sanctis eius. Lauda ergo Deum pro quinque panibus istis et multis aliis beneficiis suis in his tribus signatis scilicet bonis naturae gratiae et perennis gloriae.

DE DVPLICI PVGNA CARNIS ET SPIRITVS.

CAPITVLVM III.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.

Custodi ergo omnes sensus tuos: ne seducaris a vanis et illecebrosis daemonum figmentis. Nam quamdiu homo vivit pugnare oportet ne vincatur: sed non semper aeque fortiter temptatur. Igitur in hoc bello positus clama precibus et sedulis cordis gemitibus ad Dominum in caelis. Caro trahit deorsum:

spiritus trahit sursum. Caro quaerit mollia et blanda: spiritus econtra suadet dura et aspera. Si sequeris carnem decipieris: si sequeris spiritum coronaberis. Attende diligenter et cave te ab omni parte; quia non est securus ab hostium iaculis: ubicumque fueris intus vel foris. Sint vulnera Christi cordi tuo firmiter infixa: Iesus et Maria custodes in omni via. Istos pro armis indue: et pro gladio et baculo in manu retine. Cum indoctis inexpertis et indiscretis, cum importunis et audacibus noli multum loqui: ne leviter offendaris. Cum humilibus et simplicibus Deum diligentibus libenter loquere et consiste. Iuvat bona societas colloquens de Deo; nocet mala societas: fabulans de mundo. Cave obloquentes: sequere simplices et tacentes.

DE INSTABILITATE HVMANI CORDIS.

CAPITVLVM IIII.

Taedet animam meam vitae meae. Quare? Propter laborem et dolorem et multa adversa quae mihi occurrunt: et a Deo me separant. Quid igitur faciam et quo me vertam; ut melius habeam? Sustine patienter et expecta

Dominum confidenter; quia iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit. Nam propter superbiam et mentis elationem curvandam: iuste patimur affligimur deprimimur et despicimur. Reduc ergo ad mentem vitia et peccata tua cum foris despiceris: et tacebit querela et indignatio tua de obiectis. Nemo purus a peccato: nemo liber a sorde; nemo innocens a culpa et poena: omnes enim peccavimus. Solus Deus purus sanctus et immortalis; aeternus immensus inviolabilis: et super omnia laudabilis in saecula. Sit ergo tota spes et laetitia tua in Deo: et bona voluntas etiam parata pati poenam propter Deum. Omne gaudium mundi cito transit: et omnis laus eius plena ira et dolo. Omnis etiam delectatio carnis poenam habet sibi annexam: et meretur confusionem et despectum. Qui multa habet: multam curam ex eis patietur. Qui modicis scit contentari: pacatior erit. Infelix est et miser: qui Deo non servit. Perdit totum quod habet: qui Deum non amat. Vanus est et instabilis: qui in creaturis spem ponit et Deum neglegit. Beatus cui Deus est omnia in omnibus: et cum Paulo apostolo laetus dicit. Mihi autem absit gloriari: nisi in cruce Domini mei Iesu

Christi, per quem mundus mihi crucifixus est: et ego mundo.

Legitur in proverbiis de pigro et instabili corde in Dei servitio: vult piger et non vult. Hoc est. Vult bene comedere et bibere: et non vult laborare et ieiunare. Vult diu dormire: et non vult cito surgere. Vult fabulari: et non vult vigilare et orare. Vult alios dure corripere: et non vult modicum sustinere. Vult alios docere: et se ipsum neglegit emendare. Huic debetur virga et baculus: nisi se emendaverit in praedictis defectibus. Qui autem permanserit stabilis in virtutibus: erit hic in aeternum benedictus. Amen.

DE OBOEDIENTIA SIMPLICIS ET HVMILIS FRATRIS.

CAPITVLVM V.

Vir oboediens loquetur victoriam: ait sapiens.

Quomodo? Quia qui simpliciter oboedit, vincit se ipsum propriam voluntatem relinquendo: et alterius voluntatem humiliter sequendo. Inde magna pax et concordia oritur; bona conscientia acquiritur: et cordis laetitia augetur. Iste confidentiam ad Deum optinet et mori

non timet: quia Deus est spes eius cui usque ad mortem perfecte oboedire paratus fuit. Nam opera bona in oboedientia simpliciter facta: Deo sunt gratissima et maxime meritoria. Qui superiori vel aequali aut minori se subdit et oboedit: diabolum vincit et prosternit; qui instigare solet ne quis alteri humiliter cedat: sed duriter resistat. Ex quibus irae rixae et alia multa mala inter fratres et pacatos saepe nascuntur. Haec humilis Iesus Christus non docet: sed potius ad simplicem oboedientiam omnes revocat dicens. Discite a me: quia mitis sum et humilis corde. Homo oboediens homini propter Deum: maximum honorem Deo facit, et ei placet. Sine oboedientia aut parva aut nulla sunt opera nostra aestimanda aut ponderanda. Cum humili et prompta oboedientia etiam complacent Deo valde parva et vilia servitia ex caritate pro utilitate communi facta. Verus oboediens non est tardus nec neglegens nec querulosus: sed pro posse paratus ad omnia Deo placita. Sive ergo oboediens orat, sive laborat; sive vigilat sive dormit: sive loquitur aut tacet, sive stat aut ambulat; sive scribit aut legit: sive intrat aut exit; sive comedit aut ieiunat: omnia ex virtute oboedientiae in bonum et ad meritum sibi convertuntur. Igitur

semper in gaudio est et pace qui se ipsum vincit abnegat spoliat et vilificat: et ad oboediendum propter Deum Deo et eius vicario corde et animo omni hora sponte se resignat. Aperite huic caelum sancti angeli: fugite daemones superbi; occurrite patriarchae et prophetae; succurrite apostoli et evangelistae; intercedite martyres et confessores: supplicate sacerdotes et diacones; implorate virgines viduae et continentes: subvenite omnes Christi fideles fratres et sorores; suscipite animam pauperis humilis simplicis et oboedientis fratris vobiscum de ergastulo corporis: et in sinum Abrahae cum paupere quondam Lazaro collocate; ut requiescat in pace Christi dulciter, et sine timore confidenter: donec in novissimo die resurgat cum omnibus sanctis in aeterna gloria feliciter. Amen.

DE TRIPLICI SIGNACVLO SANCTAE CRVCIS.

CAPITVLVM VI.

PONE *me ut signaculum* divini amoris *super cor tuum* ad amandum me super omnia; et scribe sanctae crucis signum in pectore tuo: et omnia sacrae passionis meae vulnera contra maligni

spiritus iacula. Crux etenim mea salutis via, triumphale signum, et inexpugnabile scutum: fugat corporis et animae pericula. Igitur in tribus locis praecipue statue sanctae crucis signum: super cor, super os, et super bracchium tuum contra omne vitium. Signa cor tuum ne cogites mala, sed semper bona de Deo et beneficiis eius; ut habeas cor custoditum, ab omni malitia tutum: cum Deo et omnibus sanctis unitum. Signa os tuum, ut non loquaris mala nec levia, nec proterva; sed bona sancta et utilia, et eris Deo carus et acceptus: et ab hominibus iuste laudatus. Signa bracchium tuum, manus tuas et digitos tuos ne facias aliqua illicita; sed pietatis opera proximo profutura: et de omnibus istis Deum benedic et lauda. Cogita ergo semper et ubique bona; loquere semper bona: age semper bona; et erit passioni Christi conformis vita tua: triplici signaculo sanctae crucis praemunitā. Per crucem Christi superabis omnia temptamenta laeta tristia dulcia et amara: quae subito irruunt ad cordis tui secreta. Vix enim est aliquid tam bonum quod proponis facere; quin diabolus nititur te impedire: et ad malum semper trahere et maculare. Noli ea attendere noli reputare sed omnia tamquam stercora respue. Iesum invoca,

cruce te consigna; ad Mariam iuxta crucem fuge: geme plange condole, a cruce noli recedere; sed cum Iesu et Maria opta vivere et mori in hac vita: ut intres cum eis in tabernacula aeterna. Amen.

DE PIA COMPASSIONE CVM INFIRMIS.

CAPITVLVM VII.

Svpportate invicem in caritate: quia caritas operit multitudinem peccatorum.

Nemo de se praesumat nec infirmos despiciat: quia nullus scit quid adhuc de se fiet, et an perseveret. Omnes fragiles sumus; omnes adiuvare indigemus: omnes bonum cupimus et malum abhorremus. Estote ergo misericordes ait Dominus: sicut et Pater vester caelestis misericors est. Noli nimis esse iustus ne obstupescas et indurescas: et perdas aut laedas aegrum quem sanare et consolari debueras. Superexaltet ergo misericordia iudicium: iuxta beati Iacobi apostoli sententiam. Quam benignus sacerdos dominus Florentius secutus dixit. Semper plus lucratus sum pietate: quam rigore et terrore. Verum est: sic Christus

docet. Qualem te facis erga fratrem proximum: talem invenies alium postea recto iudicio ad te ipsum. Quaecumque enim bona agis in fratrem debilem tristem, ac laesum: Christo facis tamquam angelus reverenter Domino Deo ministrando. Igitur cautus sis et sollicitus: ut tempus tuum utiliter expendas; et omnia bona ad laudem Dei referas: et nihil tibi vane attribuas. Nam Dei dona sunt omnia quae habes: scilicet esse vivere intellegere cogitare loqui et operari. Quando laudem et gloriam Dei in his quaeris sursum ad Deum cum angelis in caelum pergis; sed quando inanem gloriam quaeris et gaudes et tibi ipsi places et super alios te elevas: tunc deorsum cadis et caelum perdis; gratiam amittis, et poenam incurris: ob superbiam et mentis elationem quam diabolo instigante concipis et a te non abicis et despicis. Foetet enim et immundus est ante Deum et coram angelis eius: omnis qui exaltat cor suum et in se ipso gloriatur. Qui autem vere humilis est et sibi vilis omnibus benignus pauperi misericors, infirmo compassivus, tribulato consolativus, erranti instructivus, cadenti erectivus, dubitanti confirmativus; hic accipiet benedictionem et misericordiam a Deo in hoc exilio: et vitam aeternam in caelo. Amen.

DE PERSEVERANTIA IN BONIS INCEPTIS.

CAPITVLVM VIII.

Vstinete hic et vigilate mecum. Haec locutus est Iesus discipulis suis: cum iret ad locum passionis suae passurus mortem pro nobis. Haec cogitare et ad se trahere debet quicumque monasterium vel devotam congregationem intrat: quasi Christus sibi ore dicat. Sustine hic et vigila mecum: ora et praepara te ad temptationes futuras. Exemplum enim vigilandi et orandi ostendi tibi et aliis ut ita facias: et in bonis inceptis perseveres. Qui enim perseveraverit usque in finem: hic salvus erit. Multae temptationes bonorum: multae et consolationes eorum. Non sunt tamen condignae omnes passiones iustorum: ad futura praemia aeternorum gaudiorum. Cum venerit temptatio: mox assit oratio. Non desperes nec recedas a loco: constans esto et commenda te Deo. Felix quem faciunt aliena et propria pericula cautum humilem et mansuetum: misericordem, compatientem, obsequiosum, affabilem, et neminem spernentem. Beata congregatio ubi Iesus est in medio eorum: vita virtus pax et concordia mo-

rum. Non autem mireris nec scandalizeris, nec turberis, neque formides et desperes; si interdum contingunt aliqua defectuosa in congregatione bonorum fratrum aut sororum et in religiosis locis et personis: aut si aliqui recedunt a bonis inceptis; aut quidam murmurant in abstinentiis: aut tepescunt in virtutibus et devotis exercitiis a Deo et sanctis institutis. Nam fragiles sumus et instabiles: ad malum proni et ad surgendum pigri. Et nisi Deus gratia sua nos semper adiuvet: stare et perseverare non valemus: nec hostibus nec vitiis resistere. Deo autem iuvante omnia possumus: et incipere et proficere et consummare. Igitur ad cautelam attende, quia in angelis suis Deus repperit pravitatem: et primus homo cecidit in paradiso victus a pomo. Et multitudo filiorum Israel periit in deserto: murmurando inoboediendo, carnes concupiscendo. Etiam Christo praesente et praedicante contigerunt aliqua defectuosa et imperfecta inter apostolos et sequaces suos: quis eorum inter eos esset primus et maior in regno caelorum. Quos ipse pia redargutione compescuit, et exemplo suo ac verbo docuit non alta quaerere, sed humiliter invicem servire et invicem ex caritate pure diligere. Quod nobis facere et

implere concedat: Iesus Christus Dominus noster. Amen.

DE VARIIS ANTIQVI HOSTIS INSIDIIS.

CAPITVLVM IX.

Resistite diabolo: et fugiet a vobis. Quomodo? Per fidem et crucem Iesu Christi. Quibus armis? In vigiliis et ieiuniis, in laboribus diurnis et orationibus nocturnis; in sacris lectionibus et devotis meditationibus: in paupertate et castitate: in humilitate et simplicitate in silentio a vaniloquiis, in solitudine a saeculi tumultibus: in compassione cum afflictis, in supplicatione pro adversariis; in perfecta oboedientia, et multa patientia, in forti certamine contra vitia: in perseverantia omnium virtutum, in abnegatione proprietatis, et contemptu altitudinis laudis et honoris. Qui enim in his et aliis piis actibus et exercitiis sedulus et firmus permanserit: vere Deo placet, et diabolo resistit. Nam variis modis et dolis religiosos magis quam alios temptat odit terret et inquietat; ita quod nemo liber ab eius laqueis existit: in quocumque loco et statu aut in qualicumque ordine et clausura fuerit. Quid igitur

restat facere? Ad Dominum confugere, ad Iesum clamare gemere et plorare; ut ipse te semper adiuvet confortet et custodiat: et post multa pericula ad se ubi vera et aeterna pax est benigne cum gratia perducat. O quam bene et prudenter facit qui omnia terrena relinquit; et omnes vias peccandi vitat: et in secreto a negotiis saeculi se abscondit. O quam utiliter et fructuose studet: qui in vita et passione Christi cotidie se exercitat; et omnia curiosa et alta quae a Deo et internis retrahunt dimittit: et de ultimo fine et iudicio saepissime pensat. Fidelis et prudens servus qui humilia exempla Christi et sanctorum eius devote sequitur: et latas vias magnorum cavet et fugit. Nam divitibus et magnatis maxime insidiatur diabolus: et per honores et delicias decipit et perdit. A quibus pauperes et simplices sunt saepe magis liberi: sed non penitus securi. Nam videntes multos doctos in hoc mundo florere et socios suos ad altiora conscendere: temptantur similia habere et licite possidere. Sed Christus contra dicit: et melius suadet dicens. Vendite quae possidetis: et a vobis non habetis nec fecistis nec creastis, et date pauperibus. Nolite thesaurizare vobis super terram: ubi omnia pereunt. Thesauri-

zate vobis thesauros in caelis: ubi omnia bona in aeternum manent. Fuge ergo mundum et sequere Christum: ut evadas infernum et intres cum eo caelum.

DE SCVTO BONAE VOLVNTATIS CONTRA HOSTES.

CAPITVLVM X.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno in longis matutinis: nec *in die a daemonio meridiano* in laboribus multis et ieiuniis strictis.

Iesus Christus via veritas et vita salus virtus sapientia aderit tibi a dextris tuis et sinistris in omnibus quae legis cantas et agis: ut perseveres laetus in Dei semper laudibus. Ipse adiutor tuus custos et protector fortis: ab omnibus hostibus malignis. Si Deus pro nobis ait Paulus; quis contra nos? Vis non timere hostem? Ama Christum. Quanto enim plus in te crescit amor Dei: tanto plus vilescit amor mundi, et perit timor mali. Amor Dei mortem non timet: nec diabolum nec infernum. Tene ergo fortiter scutum bonae voluntatis in amore Dei: et peribit omnis timor et fraus inimici. Bona voluntas odit omne malum, cavet

pro posse omne peccatum, respuit fictum, negat falsum, fugit mendacium: detestatur omne vanum et inhonestum. Bona voluntas bene placet Deo: diligit omne bonum omne verum, iustum et sanctum; quaerit pure ubique honorem Dei in omni opere et sermone bono: in omni loco et tempore quamdiu vixerit in mundo. Bona voluntas congaudet proximo in bono, contristatur de malo; subvenit in necessariis: orat pro delictis, indulget offensis; miseretur infirmis: consulit meliora errantibus. Bona et perfecta voluntas habet Deum semper prae oculis: et cupit soli Deo placere in bonis operibus et cogitationibus suis; aliorum profectum corde et ore amat, et suum reputat: propriam voluntatem cito abicit, laudem spernit, reputari subterfugit, omnia enim vana reputat quae a Deo retrahunt, et in infimis delectant. O frater paupercule infirme et despecte: noli deficere in tribulatione et dolore; quia probaris cum Christo in cruce: et cum martyribus in clausura et carcere. Sustine ergo modicum patienter et libenter: qui non potes multa ferre gaudenter sicut multi sancti fecerunt. Fer saltem pauca levia verba qui non vales pati dura verbera. Sustine tu pro Christo aliqua tibi gravia: quando tam multi saeculares sustinent

pro mundo graviora sine numero. Noli perdere meritum tuum per impatientiam: qui omni die et hora potes promereri per piam sufferentiam regnum Dei et aeternam gloriam. In tribulatione et dolore statue ante te passionem Iesu Christi: et feres levius omne grave quod te premit. Nemo est in mundo: cui non occurrit aliquid contrarium in corpore vel in animo. Nullus sine labore et dolore sub caelo; unusquisque sibi ipsi onus est et passio: sive solus sit sive cum alio in otio vel negotio. Necessaria ergo gratia Dei et magna patientia intus et extra: tamquam scutum bonae voluntatis contra inimici iacula: et carnis vitia et mundi blandimenta. Indue armaturam Christi serve Dei: et certa ut bonus et fidelis miles Crucifixo firmiter adhaerendo. Tota vita Christi crux fuit: sic et tua erit. Ipse enim dicit. Qui vult venire post me tollat crucem suam et sequatur me in regnum meum.

DE LAVDE DEI IN OMNI OPERE BONO.

CAPITVLVM XI.

Lauda anima mea Dominum. Omnia bona fac ad laudem Dei; et quandocumque aliqua bona cogitas lo-

queris et operaris dic in fine. Deo laus, Deo gratias. Quia sine Deo et gratia eius nil boni potes perficere nec incipere, nec bene recte et virtuose consummare. Deus omnis boni initium et finis: dat et repetit quod dedit. Recedat ergo superbia iactantia et vana gloria veniat et intret humilis oratio devota meditatio, gratiarum actio, et vox laudis omni tempore.

Quomodo potest aliquis venire ad puritatem et pacem cordis? Audi breviter, et serva versum istum in psalmo. Declina a malo: et fac bonum. Custodi cor tuum a malis phantasiis; os tuum a verbis nocivis: manus tuas ab actibus illicitis. Ecce hic homo accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo. Cogita ergo semper bona: loquere semper bona; age semper bona: et erit in pace vita tua cum conscientia bona. Pax omni bono humili mansueto simplici omnibus renuntianti: et usque ad mortem oboedienti. Vae omni malo iniquo et doloso perverso superbo inoboedienti nemini plus quam sibi nocenti.

DE VITIO VANAE GLORIAE ET PROPRIAE COMPLACENTIAE.

CAPITVLVM XII.

Nolite in sublime tolli: ait humilis Iesus.

Non ergo vane glorieris terra vilis et cinis in te ipso cum bene tibi fuerit; nescis enim quid futura pariet dies: si stabis an corrues. Dicit beatus Paulus ad Romanos. Noli altum sapere: sed time. Noli superbire in bono: ne cadas in malo. Deus enim superbis resistit tam angelis quam hominibus superbientibus: et de se ipsis praesumentibus et sibi complacentibus. Heu superbia insidiatur omnibus praelatis et subditis: saecularibus et religiosis. Superbia morbus valde contagiosus cito inficit cor hominis; temptat castos et devotos iustos et innocentes: doctos et potentes. Quis ergo gloriabitur castum se habere cor inter homines; ut vivat ab omni malitia purus? Vere nullus. O Deus tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus Iesu Christe: tu ante omnes, et inter omnes, tu super omnes angelos et sanctos benedictus es in saecula. Oro itaque Domine Deus sana animam meam: quia peccavi tibi. Cor mundum crea in

me, et omnes iniquitates meas dele; ut sim totus purus, totus tuus: tibi placitus et acceptus. Mihi autem vilis et abiectus in oculis meis: ut inveniam gratiam et misericordiam coram te et omnibus sanctis tuis, nunc et semper pie Iesu Christe.

DE VARIIS BELLIS IMPIORVM ET PATIENTIA PIORVM.

CAPITVLVM XIII.

Expugna inpugnantes me: quoniam multi bellantes adversum me.

Patientia ergo est tibi necessaria: et praecipue gratia Dei confortans te intus et extra in omni loco et tempore. Multa sunt bella in mundo multus labor et dolor sub caelo: sed non in caelo. Et quis enumeret omnia mala mundi; et occulta iudicia Dei? Quis nisi Deus solus iudex iustus fortis et patiens; hominum malitiam vincens lucens et pluens super bonos et malos? Non est qui se abscondit a calore et notitia eius: et possit praeterire iudicium eius et effugere manus eius. In omni enim loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. Dic ergo cum David in psalmo. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse

evellet de laqueo pedes meos. Et nisi quia Dominus adiuvit me: paulo minus habitasset in inferno anima mea. Non ponas spem tuam et pacem in homine; nec in aliqua creatura caeli et terrae: si non vis errare falli et turbari. Salus in solo Deo vivo vero aeterno et summe bono; qui omnia creavit ex nihilo: et regit recto iudicio.

DE MALITIA PRAVORVM CONTRA INNOCENTES.

CAPITVLVM XIIII.

Benefac Domine bonis et rectis corde. Beati qui ambulant in innocentia sua coram te Domine: et sine dolo in bona simplicitate quaerunt te. Beati omnes qui ante omnia et in omnibus verbis et factis suis laudem tuam gloriam tuam, honorem tuum, et amorem tuum secundum omnem voluntatem tuam praetendunt: et nil proprietatis in omni opere suo habent nec habere cupiunt. Sit Iesus in corde tuo in omni loco et tempore, in labore et quiete; sine fictione sine murmure, sicut decet humilem servum Dei: ad omnia bona paratum die ac nocte. Non sic impii non sic: sed tamquam pulvis quem proicit ventus a facie

terrae; in quibus non est timor Dei ante oculos eorum: nec amor Dei in cordibus eorum. Quid ergo in eis et inter eos regnat? Omnis iniustitia lis et discordia: superbia invidia avaritia, fraus et nequitia. Haec vita pravorum, qui non cessant malignari: et bonos ac simplices inquietare. Sed bonis ad meritum ipsis malis ad supplicium: bonis ad virtutum profectum: impiis ad malorum cumulum. Da nobis Domine cum bonis in virtutibus perseverare. Amen.

DE INVIDIA DIABOLI CONTRA SALVTEM HOMINVM.

CAPITVLVM XV.

Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: et inde lis et discordia multa inter homines est exorta.

Heu diabolus pessimus hostis generis humani, princeps tenebrarum, et rex super omnes filios superbiae; non cessat adhuc temptare et inquietare fideles Deo servientes. Fecit discordiam in caelo inter angelos; litem in paradiso inter Deum et hominem: inter Adam et uxorem eius trahens eos ad peccandum; inter Abel et Cain ad litigandum et occidendum: inter Iacob et Esau ad odien-

dum. Circuit cotidie per mundum ad pervertendum; inter saecularem et religiosum ad deridendum: inter laicum et clericum ad detrahendum; inter doctum et ignarum: inter stultum et sapientem. Fremit inter superbum et humilem: inter fortem et debilem; inter magnum et parvum: inter pulchrum et deformem; inter nobilem et degenerem: inter senem et iuvenem; inter praelatum et subditum: inter stabilem et vagabundum; inter devotum et dissolutum: inter taciturnum et loquacem; inter simplicem et astutum: inter veracem et mendacem. Inter hos et alios multos bonos et malos satan discurrit: nitens ad malum trahere: et a bono impedire. A quo nos custodire et protegere dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui per crucem suam principem mundi vicit; et pretioso sanguine suo de manu eius nos redemit: qui cum etc.

DE ARMATVRA CHRISTI ET SANCTORVM CONTRA VITIA.

CAPITVLVM XVI.

Accipite et induite armaturam Dei: ut possitis resistere in die malo: et in omnibus perfecti stare.

Qui enim perseveraverit usque in finem: hic salvus erit. Et si quis aliquando ceciderit et in aliquo offenderit; non tamen desperet, sed cito paeniteat et resurgat: cautius se custodiat et emendet. O quam bonum consilium et salutare remedium certans contra omne malum dictum vel factum; promittens certanti et paenitenti magnum meritum: et vincenti ac perseveranti aeternum gaudium post hoc exilium possidendum. Vnde Salvator praedicans regnum Dei et contemptum mundi ait. Paenitentiam agite et appropinquabit regnum caelorum. Et iterum. Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Arma militiae nostrae non carnalia ab extra: sed spiritualia dona ab intra; caritatis opera humilia servitia: orationes fletus et ieiunia.

Arma aurea sunt sanctissima nomina Iesus et Maria: et omnium sanctorum nomina devote invocata.

Arma pauperis et humilis servi Dei sunt crux clavi lancea, pretiosa quinque vulnera et omnia passionis Christi stigmata in memoria scripta.

Arma argentea sunt sacrae scripturae eloquia; doctorum volumina, clericorum iura: canonicorum decreta, monachorum

statuta; devotorum preces, humilium mores: oboedientium exempla.

Arma aenea et candida: sunt sanctorum martyrum proelia et gravia eorum tormenta pro fide catholica; ad destruendum idola vana; et ad exaltandum nomen Iesu Christi crucifixi super omnia regna et culmina mundi et luminaria caeli.

Arma ferrea sunt cilicia et ieiunia et paenitentium dura opera carni onerosa; longae vigiliae, preces multae, lacrimae amarae pro animae salute; calores in aestate, labores in messe, frigora in hieme: dolores in capite, in dente, in crure, in pede, et in aliis membris corporis; ad domandum vitia carnis: et ad resistendum diaboli sagittis. Arma virginum viduarum et matronarum sunt castitas verecundia taciturnitas humilitas, modestia honestas, sobrietas, abstinentia a deliciis et ornamentis noxiis; mansio in domibus, cautio a viis publicis: et firma custodia cordis et oris in omnibus operibus temporibus et locis. His armis nos indue Iesu piissime; et ab hostium defende periculis: ut ad te secure pervenire mereamur, intercedentibus sanctis tuis pro nobis. Amen.

DE VTILITATE FREQVENTIS ORATIONIS.

CAPITVLVM XVII.

Apud me oratio Deo vitae meae: in omni loco et tempore.

Vbicumque ergo fueris assit tecum sancta oratio pro socio et solacio: sive brevis sive longa pro temporis congruentia. Devoto servo Dei omnis locus aptus ad orandum: omne tempus breve ad bona meditandum. Scriptum enim est, et cotidie in missa legitur pleni sunt caeli et terra gloria tua, hosanna in excelsis. Vis fructuose et breviter orare: tunc offer Deo cor tuum plene et ora. Obsecro salvifica benedic et sanctifica me Domine qui habitas in caelis: fiat voluntas tua in me omni tempore. Et si recte sapis et bene intellegis ac provide conspicis: tunc omnis bona actio locutio et cogitatio de Deo de virtutibus et sanctis scripturis est supplex oratio. Haec ad caelum pulsat, veniam petit: gratiam et gloriam impetrat. Et quando haec facis ad laudem Dei congaudent sancti angeli; turbantur daemones, aedificantur proximi fratres et sorores: qui ad orandum excitantur oratione frequenti. Non ergo cesset os ab oratione, nec manus ab opere; nec cor a meditatione: nec pes tardet a divino

servitio. Surgat tecum oratio nocte de lectulo: vigilet et cantet tecum hymnos et psalmos in psalterio; quiescat tecum in dormitorio: praecedat et sequatur tecum in choro; sedeat tecum in refectorio: doceat te in locutorio; solvat tecum gratias cibo sobrie sumpto: transeat tecum in agro; plantet tecum species in horto: redeat tecum in cubiculo; mundet tecum pedes a luto verborum: lavet tecum manus a sorde operum; comitetur tecum in omni loco privato et aperto: habitet tecum in silentio; sit tecum in principio laboris in medio et in fine eius. Ad laudem et gloriam sanctae Trinitatis.

DE PRIVATIS ORATIONIBVS QVASI IACVLIS ACVTIS IN HOSTES.

CAPITVLVM XVIII.

Verbo Domini caeli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Verbum Dei scutum animae fidelis ad protegendum: et iaculum acutum contra inimicum. Multae fraudes antiqui hostis: multae vanae immissiones eius contra devotos simplices et humiles. Sed Christus Dei virtus et sapientia omnium potentior est in caelo et in terra: qui uno solo verbo potest satanam vincere et conterere sub pedibus suorum. Igitur si repentinus

timor irruit super te: ora et lege. Esto nobis Domine turris fortitudinis: a facie inimici. Si caro putrida stimulat: ora et lege. Confige timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui. Si prava suspicio influit: ora et lege. Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis. Si mala tristitia te premit: ora et lege. Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me. Si vana gloria inflat: ora et lege. Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Si desperatio molestat: ora et lege. Spes mea Domine a iuventute mea: de ventre matris meae tu es protector meus. Si taedium mentem occupat: ora et lege. Adiuva me et salvus ero: et meditabor in iustificationibus tuis semper. Si somnus opprimit: ora et lege. Illumina oculos meos ne obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus praevalui adversus eum. Si acedia impugnat: ora et lege. Excita Domine potentiam tuam et veni. Confirma me in verbis tuis: ne deficiam in via. Si labor aggravat: ora et lege. Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte universa delicta mea. Si iracundia conturbat: ora et lege. Da patientiam Domine et pacem servo tuo: ne perdam coronam animae meae in caelo. Tu enim dixisti.

In patientia vestra: possidebitis animas vestras. Si appetitus honoris et altior status te allicit et implicat: ora et lege. Inclina cor meum Deus in testimonia tua: et non in avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Si cibus et potus immoderatus te temptat: ora et lege. Regnum Dei non est esca et potus: sed pax et gaudium in Spiritu sancto. Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quitquam. Si curiositas audiendi nova aut videndi pulchra te movet: ora et lege. Omnis gloria filiae regis ab intus. Omnia enim infima caduca; omnia mundana vana: quantumcumque sint decora. In solo Deo omnia bona plena sine fine. Si Iesum sequeris: et omnibus renuntiaveris: omnia in eo possidebis. Post multa sacra verba hoc unum retine: saepe ora saepe lege. Mihi adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino totam spem meam.

DE VERSICVLIS ANTE INITIVM OPERIS LEGENDIS.

CAPITVLVM XIX.

IN corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

Nam cito corruit homo in malum: si non habuerit aliquid boni in corde suo

de Deo Iesu salutari suo. Vt ergo prompte habeas Deum in mente: omnia quae audis et vides legis et pensas trahe ad Deum. Memor esto nominis Domini Dei tui die ac nocte; ut bene sit tibi cum eo: quia sine eo semper male tibi erit ubicumque fueris et quitquid habueris. Quando suscitaris in nocte: aperi oculos tuos et lege versiculum istum, et dic ad te ipsum. Surge surge qui dormis, et illuminabit te Christus: qui promisit coronam vigilantibus et orantibus. Cum pulsatur iterum mox lege. Ecce sponsus Iesus venit, exite obviam ei. Qui tarde venit confundetur, et benedictione carebit. Cum vocatus fueris ad laborem lege. In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula; et fac opera tibi iniuncta: quia melior est oboedientia, quam victima propria. Infra laborem saepe ora, psalmos devote rumina: fabulas cave, Iesum invoca, et genua flecte. Ad sonum campanae lege Ave Maria: et ei te commenda. Ad pulsum chori lege. Hoc signum magni Regis est: eamus et offeramus ei munera aurum tus et murram. Quando chorum intras lege. Introibo in domum tuam Domine: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Quando cum aliis stas in choro lege. In conspectu angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum

tuum et confitebor nomini tuo. Quando exis de choro lege. Deduc me Domine in semita mandatorum tuorum: quia ipsam volui. Quando intras sacristiam lege. Vere locus iste sanctus: in quo sacerdotes et ministri se praeparant ad divina celebranda. Quando gradum dormitorii ascendis lege. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum: Deum meum et Deum vestrum alleluia. Quando descendes lege. Zachaee festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Quando intras cellam lege. Aperite mihi portas iustitiae, ingressus in eas confitebor Domino. Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo quoniam elegi eam. Quando exis foras lege. Dirige Domine Deus meus: in conspectu tuo viam meam. Domine sequor te quocumque ieris: quia verba vitae aeternae habes. Cum redieris lege. Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula cum Iesu et Maria et tota caeli curia: quia melius hic quam in platea. Cum pulsatur ad prandium lege. Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Meus cibus est: ut faciam voluntatem Patris mei qui est in caelis. Ante gustum cibi lege. Cibabis nos pane lacrimarum: et potum dabis nobis in lacrimis in mensura. Si male sapit cibus lege. Dederunt in escam meam fel:

et in siti mea potaverunt me aceto. Cum ergo Iesus accepisset acetum dixit Patri. Consummatum est: et mox inclinato capite emisit spiritum. Felix qui cum Iesu in cruce moritur: ut cum eo resurgere mereatur. Si cibus bene sapit et potus pro communi paratus lege. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel et favum ori meo. O quam suavis est Domine spiritus tuus: et quam magna multitudo dulcedinis tuae quam abscondisti timentibus te. Ante initium operis lege. Adiutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit caelum et terram. Omnia ad laudem Dei. Lege. Adesto omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Lege. Assiste mihi o pia virgo Maria: cum Iesu dilecto filio tuo salvatore meo. In fine omnis laboris lege. Deo gratias, Deo laus, pro omni bono. Ante lectionem in libro lege. O aeterna sapientia revela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua. Emitte Spiritum tuum et creabuntur in me virtutes et dona gratiae: cum spe futurae gloriae. Post studium pone librum ad locum suum: et recogita quae legisti: memorans verbum Domini quod in cena dixit. Si haec scitis: beati eritis si feceritis ea. In omni verbo Dei invenies manna caeli: si recte intellegis et bene vivis. Si male vivis:

lapis est non panis suavis. Converte cor tuum ad humilem et pium Iesum et invenies animae tuae solacium: et omnia adversa convertentur tibi in bonum et aeternum gaudium.

DE SEPTEM VIRTVTVM GEMMIS BONAE CONGREGATIONIS.

CAPITVLVM XX.

Generatio rectorum benedicetur: et iter impiorum peribit.

Benedictio Domini super caput iusti: maledictus vero qui declinat a mandatis Domini. In omni bona et devota congregatione fulgent praecipue septem commendabiles virtutum gemmae; tamquam devotionis signa Deo et angelis placita: sed daemonibus contraria. Prima gemma est oboedientia in subditis; ut omnes superiori suo sponte prompte et humiliter oboediant: et unusquisque propriam voluntatem suam relinquat, et cum Christo omni hora dicat. Pater non sicut ego volo: sed sicut tu vis. Pater fiat voluntas tua bona: et non mea mala. Sic vincitur diabolus et consilium eius annulatur; crescit oboedientiae meritum: et augetur caeleste praemium.

Secunda gemma est concordia in bonis moribus; ut simul laborent vigilent

orent ieiunent edant et invicem se confortent: iuxta verbum Iacobi apostoli. Orate pro invicem ut salvemini.

Tertia gemma est constantia in locis; ne locum suum leviter deserant: nec pro commodis propriis mutent; sed pro Christo firmiter se sustineant: ut a Christo audiant. Vos estis qui permansistis mecum in temptationibus meis.

Quarta gemma est patientia in adversis; ut parati sint dura et aspera pro vita aeterna sufferre quae sibi possunt contingere: sive a se ipsis sive ab aliis Deo iusto permittente. In loco enim ubi multi congregantur ex diversis aetatibus et nationibus: raro est quin ibi contingat aliqua turbatio in verbis vel factis. Ideo necessaria est patientia optima medicina contra omnem turbationem: iuxta sancti Pauli doctrinam. Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi. Quae autem ista sunt onera cotidiana experientia docet; scilicet infirmitas corporum, et imperfectiones animorum et virtutum defectus in omnibus nobis: quia nemo perfectus in omnibus nisi solus Deus.

Quinta gemma est mansuetudo sermonis ad consodales: nutriens caritatem: delens iram et faciens pacem inter fratres; ut nemo alium verbo signo facto risu

ioco serio turbet laedat aut offendat: sed sicut se ipsum attendat diligat et Christum prae oculis semper habeat qui dicit. Discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris in mundo: et vitam aeternam in caelo.

Sexta gemma est gratitudo pro beneficiis Dei, laudans et benedicens Deum pro omnibus bonis ab initio mundi: usque ad finem et consummationem saeculi. Tanta enim sunt beneficia Dei in caelo et in terra: ut nemo explicare nec numerare ea sufficiat. Ideo omnia Deo retribuenda sunt: et ab omnibus laus semper solvenda.

Septima gemma est perseverantia finalis in omnibus virtutibus praedictis: cum multis aliis donis istis annexis. Haec ducit prudentem et fidelem servum in paucis pro quinque talentis lucratis in gaudium Domini sui aeternae pacis requiem: ubi cum Iesu et omnibus sanctis gaudebit semper in gloria. Amen.

EXPLICIT LIBELLVS DICTVS
HOSPITALE PAVPERVM.

CANTICA

INITIA CANTICORVM LITTERARVM ORDINE DISPOSITA.

Adiuva nos tuis precibus . . . . . p. 328
Ad quem respiciam . . . . . „ 341
Adversa mundi tolera . . . . . „ 246
Agnetis, Christi virginis . . . . . „ 382
Ama Iesum cum Agnete . . . . . „ 384
Amatrix devotorum in castitate . . . . . „ 391
Amoris domicilium . . . . . „ 360
Angelorum si haberem . . . . . „ 251
Apparuit benignitas . . . . . „ 314
Assuesce Iesum invocare . . . . . „ 250
Ave, caelestis regina . . . . . „ 367
Ave, florens rosa . . . . . „ 390
Ave, mundi domina . . . . . „ 372
Ave, pulcherrima regina . . . . . „ 324

Caeli cives attendite . . . . . „ 266
Castitatis Lilium . . . . . „ 393
Christe, redemptor omnium . . . . . „ 397
Christe, sanctorum gloria . . . . . „ 389
Christi virgo generosa . . . . . „ 361
Clara nomine . . . . . „ 393
Congregatrix virginum . . . . . „ 393
Consolatrix infirmorum compassione . . . . . „ 392
Creaturarum omnium merita . . . . . „ 257
Cvm sponsa sponsum quaeritat . . . . . „ 367
Cvm sub cruce sedet . . . . . „ 272
Cvr livet hostis impius . . . . . „ 369

Dic nobis, per quam regulam . . . . . „ 359
Dies est laetitiae in aula regali . . . . . „ 370
Dies est laetitiae in ortu regali . . . . . „ 349
Dies, qui ad purgandum . . . . . „ 251

Ecce quam bonum et quam iucundum . . . . . „ 332
Ego sum mater misericordiae . . . . . „ 339
Eia amo te, Deus meus . . . . . „ 346
Electe mi vermicule . . . . . „ 344

INITIA CANTICORVM

En dies est Dominica . . . . . p. 303
En virginis Caeciliae . . . . . „ 383
Et erit opus iustitiae . . . . . „ 336
Exaudi, Domine, orationem . . . . . „ 334

Fidelis sermo . . . . . „ 337 5
Fili mi dilecte, antequam . . . . . „ 343
Fili mi dilecte, in omnibus . . . . . „ 331
Fili mi dilecte, in tribulatione tua . . . . . „ 361

Gaude, Agnes, virgo Christi . . . . . „ 381
Gaude, gaude, o turtur unice . . . . . „ 342 10
Gaude, mater ecclesia, de praecursoris . . . . „ 387
Gloriosa, tu quae tegis . . . . . „ 374

Haec est praeclarum vas paracliti . . . . . „ 348
Haec festa natalia . . . . . „ 355

Ierusalem luminosa . . . . . „ 276 15
Iesu, salvator saeculi . . . . . „ 396
In diebus celebribus . . . . . „ 307
In domo Patris . . . . . „ 293
In dulci iubilo cantate Domino . . . . . „ 377
In pace Christi dormiam . . . . . „ 268 20
In te stupet ratio . . . . . „ 371
In urbe mea Ierusalem . . . . . „ 288
Ivbilemus singuli carmina promentes . . . . „ 327
Ivre plaudant omnia . . . . . „ 353

Lauda, relauda . . . . . „ 268 25
Lvx est in tenebris . . . . . „ 267

Maria, pudoris sui custos . . . . . „ 338
Mater sancta, dulcis Anna . . . . . „ 378
Mirum est, si non lugeat . . . . . „ 262

Nascitur diversorio . . . . . „ 321 30
Nec quisquam oculis vidit . . . . . „ 280
Nova vobis gaudia refero . . . . . „ 357
Nvnc Deus carens tempore . . . . . „ 317

O Amor aeterne, accende me . . . . . „ 363
O Anima mea dilecta Deo . . . . . „ 362 35
O Dulcissime Iesu, quam . . . . . „ 245
O dulcissime Iesu, qui . . . . . „ 247

O Iesu mi dulcissime, spes . . . . . p. 329. 394
O ineffabilis Dei mei pietas . . . . . p. 268
O lux videntium . . . . . „ 334
O maiestas Deica . . . . . „ 351
O mi dilecte, ne elonges te . . . . . „ 345
O praegrandis vitae sanctissimae . . . . . „ 339
O Qualis quantaque laetitia . . . . . „ 273
O Quam glorificum solum sedere . . . . . „ 283
O quam praeclara regio . . . . . „ 275
O quam pulchra puella parvula . . . . . „ 375
O Quid laudis, quid honoris . . . . . „ 259
O sanctissime amator hominum . . . . . „ 335
O vera summa Trinitas . . . . . „ 386

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus . . . . „ 392

QVanta mihi cura de te . . . . . „ 254
QVem quaeris, anima mea . . . . . „ 332
QVisquis valet numerare . . . . . „ 299

REgnum mundi et omnem ornatum . . . . . „ 340
Renuit consolari anima mea . . . . . „ 347
RVbens rosa, Iesu pie . . . . . „ 365

SAlve virgo speciosa . . . . . „ 360
Salve virgo, spes reorum . . . . . „ 373
Serve meus, noli metuere . . . . . „ 268
SErviat tibi, Domine . . . . . „ 333
Si insurgunt venti temptationum . . . . . „ 340
STetit Iesus coram Pilato . . . . . „ 379
SVper omnia et in omnibus . . . . . „ 267

TOta pulchra es, amica mea . . . . . „ 330
Tota vita Iesu Christi . . . . . „ 380
Totus mundus sit iucundus . . . . . „ 354

VBi est modo Iesus . . . . . „ 264
VEnerandae estis, sacrae virgines . . . . . „ 329
VEni, veni, Rex gloriae . . . . . „ 310
VIdi speciosam sicut columbam . . . . . „ 376
VIrga Iesse fecunda, florida . . . . . „ 376
Vita boni monachi crux est . . . . . „ 249
VItam Iesu Christi stude imitari . . . . . „ 245
VNiversalis ecclesia congaudeat . . . . . „ 358

I.

ANTIPHONA.

QVAM DVLCE EST COGITARE ET CANTARE DE INFANTIA IESV.

Dulcissime Iesu
quam amabilis
et quam suavis
factus es hominibus,
quam libenter meditabor de te,
Iesu dulcissime
nam et puer parvulus
dignatus es fieri propter me
ut tali amore
me constringeres ad te.

II.

DEVOTVS RHYTHMVS DE VITA IESV IMITANDA.

Vitam Iesu Christi stude imitari.
Caste iuste pie disce conversari.
De nato Iesu cane dulciter.
De passo Iesu dole graviter.

Laeta misce tristibus
tuis exercitiis.
Mala terge fletibus
cave a deliciis.

Iesum quaere diligenter.
Clama pulsa vehementer.
In devotis hymnis delectare.
Dulce est de Iesu cogitare,
Dulcius cum Iesu iubilare,
Dulcissimum caelos penetrare.

Iesu ob amorem
omnem fer laborem.
Sustine vim patiens
tace ut sis sapiens.
Mores rege aures tege,
saepe ora saepe lege.
Omni die omni hora
te resigna sine mora.

III.

DE PATIENTIA SERVANDA.

Adversa mundi tolera
Pro Christi nomine.
Plus nocent saepe prospera
Cum levi flamine.

Cum a malis molestaris,
Nihil perdis sed lucraris.
Patiendo promereris,
Multa bona consequeris.

Nam Deum honorificas
Et angelos laetificas,
Coronam tuam duplicas
Et proximos aedificas.
Labor parvus est atque brevis vita.
Merces grandis est, quies infinita.

Totiens martyr Dei efficeris,
Quotiens pro Deo poenam pateris.
Patiendo fit homo melior,
Auro pulchrior, vitro clarior,
A vitiis purgatior,
Virtutibus perfectior,
Iesu Christo acceptior,
Sanctis quoque similior,
Hostibus suis fortior,
Amicis amabilior.

IIII.

DE DVLCEDINE IESV ET DE PLENITVDINE GRATIARVM ET OMNIVM VIRTVTVM QVAS HABVIT. SEQVENTIA.

dulcissime Iesu,
qui de caelo descendisti
et vitam mundo contulisti.

Legam de te, scribam de te,
quaeram te, cantem de te,
laudem te Iesu puer dulcissime.

Nam suavis es et mitis,
humilis plenusque virtutibus
fili Dei altissime.

Multum dimittis multum amanti
nec postea te deserenti.

Qui te relinquit heu quid hic facit,
qui te invenit eia quid habet.

Illum profecto tenet et habet
qui caelum terramque ut Deus regit
ut homo miro modo praesepe
quasi pauper praeelegit.

O venerabile praesepium
in quo mundi servatur pretium
nunc latet nunc patet
tunc scietur cum pro multis expendetur.

Hae sunt verae deliciae
fidelis animae
saepe mente revolvere
humilia tua Iesu Christe.

Hae sunt sanctae reliquiae
piae memoriae
quas devote recolere
in absentia tua vis Domine.

Iam oportet me gaudere,
nam damnatus pro scelere
eram et clausus taetro carcere,
sed Iesus venit cum claro lumine.

Nudus eram nec sciebam
claudicabam et languebam
et ad me dignatus es descendere
Iesu clemens et caelestis medice.

Bone Pater multum nos amasti
quibus Iesum praeparasti
ab aestibus umbraculum.

O Iesu clarissimum speculum,
splendens per totum saeculum
tu nostrum es remedium.

Quidni ego dolerem
Iesu mi, si non venisses
et aegrotum visitasses.

Nunc vero et gaudebo
in te Iesu Deo meo
et servus tuus semper ero.

Laus tibi Iesu benigne
et amoris tui igne
accende me
ut semper amem te.

V.

VERSVS DE SANCTA CRVCE.

Vita boni monachi crux est, sed dux paradisi.
Portat portantem, salvat sua vulnera flentem.

Firmat nutantem, tollit ad aethera mentem.
Vincit temptantem, daemonem de caelo cadentem.

VI.

DE INVOCATIONE NOMINIS IESV MARIAE ET SANCTORVM.

Assuesce Iesum invocare:
Mariam saepe salutare,
Cruce sancta te signare:
omnes sanctos honorare,
Contra daemones certare:
vigilare et orare,
Sacra verba ruminare:
Deo laudes decantare,
Infimis renuntiare:
ad superna cor levare,
Extra Iesum nil amare:
nihil velle nil optare.
In Domino semper spera:
age recta profer vera.
Coram Deo te humilia:
et gratiam invenies.
Ama pauca et simplicia:
et pacem multam senties.
Qui modo est humilior:
in caelo erit altior.
Et qui nunc vivit strictior:
in futuro canet laetior.
Secundum merita singulorum,
reddentur praemia beatorum.

VII.

ADMONITIO NOTABILIS.

Dies qui ad purgandum nobis dati sunt velimus nolimus implebimus. Sed vae nobis si dies implentur et purgatio minime impletur ut postea necesse illo nos igne purgari quo nihil poenalius nihil acrius in hac vita aut vehementius potest excogitari. Sed quis ille tam perfectus tam sanctus qui cum hinc exierit nihil illi debeat igni qui sic ad purum omnem in se scoriam peccati excoxerit ut gloriari poterit castum se habere cor, ut dicere possit mundum est cor meum, purus sum a peccato. Pauci quidem sunt electi sed inter illos paucos paucissimi sunt.

VIII.

DE BENEFICIIS DEI TAM GENERALIBVS QVAM SPECIALIBVS. HYMNVS.

ANgelorum si haberem
linguas nec non hominum,
te laudare non valerem
summe Pater luminum
quantum merito deberem
a quo datum optimum.

Ad te namque me creasti
potenter ex nihilo,
secundum te me formasti
profundo consilio
angeloque coaequasti
mentis privilegio.

Ac viribus animatus
supremis et infimis
brutis eram tunc praelatus
ut decor imaginis
sanctus prudens temperatus
iustus inpassibilis.

Sed parum mihi donasses
formando tam inclitum,
transgressorem si damnasses
ingratum et tumidum
deceptumque ni salvasses
miserum ac perditum.

En tu mihi supplantato
neq'uiter a daemone
pie spem illo damnato
tribuisti veniae
tempore gratiae nato
locum dando pascuae.

Me peccantem tolerasti
satis longanimiter,
deviantem revocasti
compungens salubriter
meque culpantem quitasti
de culpa totaliter.

Tu me valde vulneratum
lavans sanas undique,
lotum ungis et sanatum
oleo laetitiae
spe post vulnus sublevatum
miro lustras lumine.

Nunc in bono me firmando
periculis subtrahis
nunc mihi cooperando
nova dona tribuis,
haec tollendo seu donando
lucrum meum appetis.

Tu mihi das affluenter
opportuna victui
tuque largiris clementer
congrua vestitui
mei curam gerens semper
ut oculi proprii.

Est et iustum gloriari
quod dignus sim habitus
hic propter te tribulari
intus et exterius,
nam in hoc solet probari
praedilectus filius.

Omnis tua creatura
multum mihi proficit,
nam tam usu quam factura
primum fontem repetit,
sic natura sic scriptura
semper in te refluit.

Sed tu mihi profuisti
plus quam cuncta entia,
pro me carnem induisti
dum mira clementia
meque totum redemisti
Patris Sapientia.

O Paternae bonitatis
inexhausta pietas,
in Filio patet satis
ad me tua caritas,
laudis lucis maiestatis
tibi hinc aeternitas. Amen.

IX.

DE GRATVITA DIGNATIONE DEI AD HOMINEM. HYMNVS.

QVanta mihi cura de te
homo si cognosceres,
tam miser et inops in te
nequaquam existeres,
sed quia remotus a me
quid exul ni fluctues?
o si tu hoc saperes.

In abysso Deitatis
finxi te de nihilo,
summae quoque Trinitatis
signavi signaculo,
tuque liber prae creatis

comparatus angelo,
tam nobilis es homo.

In loco te voluptatis
gloriosum posui,
per ministrum falsitatis
decepto condolui
vesteque simplicitatis
nudatum te vestii,
sic homo pro te fui.

Te iuste quamvis fugavi
de loco laetitiae,
nequaquam tamen privavi
spe misericordiae,
nam suo praedestinavi
salvare te tempore,
hinc homo dilige me.

Satana semper damnato
nasci pro te volui,
malo nullo perpetrato
poenam pro te subii,
me circumciso oblato
legem non praeterii,
scis homo cur id egi?

Quid faciendum non feci
homo cum hominibus?
te docui te perfeci
verbis et operibus,
corporis mei refeci
mysticis te dapibus,
quid homo vis amplius?

Spretus eram et abiectus
veluti vas perditum,
sputis ac plagis affectus
mala ferens omnium
ut reprobus, non electus
in oculis hominum,
id homo pro te totum.

Pro te pedes pro te manus
perfossae saevissime,
spinis caput ense latus
vulneratum impie,
felleque pro te potatus
crucifixus undique,
sic homo dilexi te.

Quia pro te pauper natus,
tu ditaris meritis,
quia pro te cruciatus,
tu quitaris debitis
et quia glorificatus
coronaris praemiis,
quid homo mihi pro his?

O caritas inaudita
stupendaque pietas,
Deitati quod unita
mea sit humanitas,
hinc tibi sit infinita
laus maiestas claritas
o beata Trinitas. Amen.

X.

DE BENEFICIIS DEI GENERALIBVS ET PRAECIPVIS. HYMNVS.

Creaturarum
omnium merita
simul in unum
si forent congesta,
laude nequirent
efferre te digna
Trinitas sancta.

Quae bonitatis
tuae divitias
abunde satis
in homine monstras
quem prae creatis
tibi consimilas
ac multum amas.

Quantum amásti
hunc supra meritum,
hoc declarasti
o Pater omnium
quia donasti
pro vita hominum
tuum Filium.

Quam amplectendum,
quod lumen luminis
Patrisque Verbum
natus sis virginis,

ut per te ipsum
succurras perditis
Adae filiis.

Nam caritate
tua prae nimia
de potestate
liber tyrannica
iam dignitate
fruor deifica
diu perdita.

Me ni zelasses,
tu quando carneus,
me ni salvasses,
iam essem reprobus,
ni triumphasses,
caelestis aditus
mihi invius.

Vere zelator
tu fidelissimus,
vere salvator
tu invictissimus,
tu praemiator
superlargissimus
satis omnibus.

Nam te nascente
confertur pretium,
te moriente
solvitur debitum,
te resurgente

panditur meritum,
datur praemium.

Quam gaudiose
tu mihi genitus,
quam fructuose
tu mihi mortuus,
quam gloriose
cernitur vacuus
tuus tumulus.

Te honorare
prout nunc appeto,
te redamare
quantum nunc debeo
teque laudare
quamvis nequivero,
numquid tacebo?

A quo creatus,
laus sit Ingenito,
per quem salvatus,
honor sit Genito,
in quo renatus,
decus Paraclito
simplici Deo. Amen.

XI.

ITEM DE BENEFICIIS DEI SPIRITVALIBVS. HYMNVS.

Quid laudis, quid honoris
reddam tibi debite,

factus homo vi amoris
Patris Vnigenite,
per quem omnibús in horis
tanto donor munere.

Te nam in carne vivente
spiritu vivificor,
te poenose moriente
peccato commorior
inque cibum te tradente
tibi totus unior.

O vitale nutrimentum
prae cunctis optabile,
praecellens medicamentum
tu languentis animae,
cibans mentem, dans augmentum
virtutis et gloriae.

Eia quantum me amasti
vocatum prae milibus,
qui te totum hic donasti
pie meis usibus
fruendumque post servasti
te cum tuis omnibus.

Tu mihi resurrexisti
sursum levans animum,
mihi caelos ascendisti
monstrans, ubi bravium,
desolato remisisti
Spiritum paraclitum.

Hic nunc mulcens consolatur
per prospera placida,

nunc flagellans comminatur
per adversa tristia,
sed si pure diligatur,
utraque salubria.

Huius inspiratione
foetent en carnalia,
huius consolatione
placent carni gravia,
huius quoque unctione
patent spiritalia.

Nam bona, quae non cernuntur
carnis ullis sensibus,
in uno fore noscuntur
huius dono Spiritus,
in quod sancti suspenduntur
cunctis charismatibus.

In se quid hoc unum tantum,
numquam valet exprimi,
quale sit in se vel quantum,
fide solet conici,
hoc solo tamen amantum
sitis potest adimi.

En pluralitas donorum
tam innumerabilis
cordibus fit devotorum
in uno capabilis,
eia largitor eorum
o quantum laudabilis.

Supra modum exalteris
hinc Pater, fons munerum,

ubique glorificeris
hinc Fili, lux hominum,
sine fine hinc lauderis
Paraclite tristium. Amen.

XII.

DE CONSIDERATIONE MVLTIMODAE MISERIAE HVMANAE. HYMNVS.

Mirum est, si non lugeat,
experimento qui probat,
quod vivere in saeculo
labor, dolor, afflictio.

Et quamvis iuste vixerit,
tamen hic vivens nemo scit,
an electus, an reprobus
a Deo sit praecognitus.

Heu quid aliud vivere
in huius mundi carcere,
quam a Deo recedere
peccatisque se subdere?

Nam carni satisfacere,
curiosa appetere
vaneque cor extollere
suet mundus suos docere.

Sic cum virtus deseritur,
iniquitas perficitur,
venter pro Deo colitur
ad votum mundo vivitur.

Heu quid aliud vivere
in huius mundi carcere,
quam inermem continue
belli stare in acie?

Nam instanter confligere
cum inimicis animae,
carne, mundo ac daemone,
nunc totum iusti vivere.

Ac sponte crucem tollere,
menti carnem subicere
in Deoque quiescere
cultus suadet iustitiae.

Heu quid aliud vivere
in huius mundi carcere,
quam in sacco et cinere
panem doloris edere?

Heu mihi multum misero,
caeco, surdo, claudo, curvo,
egeno, nudo, languido,
damnato in exilio.

Heu mihi, quia deficit
vita mea doloribus,
anni mei gemitibus,
timoribus et fletibus.

Heu mihi, nam sum plurimis
circumcinctus miseriis,
corporis, cordis, spiritus
tam diebus quam noctibus.

Solus sim seu cum aliis,
sanus, tristis seu hilaris
operans seu otiosus,
aerumnis sum circumdatus.

Heu heu heu quam innumeris
cladibus et miseriis
omnis homo et singulus
hic vivens est involutus.

Duc nos, o summa Trinitas,
supra mundi angustias,
ut tibi demus gratias
cum beatis perpetuas. Amen.

XIII.

CANTICVM CONSOLATORIVM IN MEMORIA IESV ET CAELESTIS CVRIAE.

VBi est modo Iesus,
et ubi est Maria,
ubi Agnes et Caecilia,
ubi angeli
et omnes sancti Dei?

In caelo beate vivunt,
laetantur atque canunt
sine fine laudes Domino.

Quid ergo nunc cogitas
et quid sic vagaris?
audi homo inconstans et inanis,

non est foris,
intus est quem tu quaeris.

Cessa iam foris quaerere
et intus regredere,
si Christum optas invenire.

Para illi hospitium
cordis tui thalamum,
iste est enim locus,
in quo deliciatur Christus.

Exclude tumultus mundi,
carnis et diaboli,
mane in silentio
et misce verba cum Domino.

O qualis devotio,
quanta quoque dulcedo
confertur tunc animae
cum visitatur tam intime.

O quam bene illi est,
cui Christus tam prope est,
sed quam iucundum erit,
cum quod perfectum est, venerit.

Tolle, tolle tecum,
Domine,
me de domo carceris.

Veni, veni mecum,
hodie,
sponsa, coronaberis. Amen.

XIIII.

HYMNVS AD ANGELOS ET SANCTOS IN CAELO.

AEli cives attendite,
et angeli percipite,
in hac valle miseriae
exulanti succurrite.

Vos in perenni gaudio,
et ego in exilio,
pensate, quid gemens dico,
an mirum sit, quod lugeo.

In terris diu vivere
et Christum nondum cernere
grave nimis est animae
languenti eius vulnere.

Hinc sponsa in meridie
sponsum requirit anxie,
quem mystica sub specie
absens colit vera fide.

Fides, spes, mera caritas
clamant, Iesu, quo properas,
rabboni, ubi habitas,
cur ire longe simulas?

De mea nunc absentia
noli flere, o amica,
ibi fige suspiria
quo praecedo, in patria.

Consoletur exilium
gratiae stillicidium,
fratrum quoque subsidium
ac luctus tui praemium.

Ad patrem sursum transeo,
ut emisso Paraclito
exultes et in Filio,
quamdiu es in saeculo. Amen.

XV.

ANTIPHONAE.

DE VERA REQVIE ET CONSOLATIONE IN DEO HABENDA.

SVper omnia
et in omnibus
requiesces anima mea
in Domino semper,
quia ipse sanctorum
aeterna requies.

XVI.

LVx est in tenebris
et lucerna in noctibus,
dat medelam aegris mentibus
et vinum multum tristibus
dulcis et rectus Dominus

XVII.

IN pace Christi
dormiam et requiescam,
quia dura sunt omnia,
et ipse sola requies.

XVIII.

O Ineffabilis
Dei mei pietas
et inaestimabilis
caritas,
quae cunctos in caelo
et in terra sanctos complectitur.

XIX.

LAuda, relauda,
lauda, relauda,
anima mea Dominum,
modicum est, modicum est
quidquid laudaveris,
tamen lauda, relauda.

XX.

LOQVITVR IESVS AD SERVVLVM SVVM SEQVE IMITANDVM PROPONIT.

SErve meus,
noli metuere,
quia non tu me,

sed ego elegi te
et sicut et ubi volui,
ego posui te.

Veni post me
intrepide
et abnega te
spontanee.

Tolle crucem tuam
cotidie
et me Deum tuum
sequere.

Et si quid ex proprio
supererogaveris
pro me, ego cum rediero
reddam tibi plenarie.

IESVS AD DILECTVM.

Sicut dilexit me Pater meus,
ego dilexi te,
mane et tu
in dilectione mea.

Veni post me
intrepide
et abnega te
spontanee.

Tolle crucem tuam
cotidie
et me Deum tuum
sequere.

DILECTVS AD IESVM.

O quanta gloria servi reprobi,
a rege regum eligi
et eius vestibus indui.
O dominator Domine,
dic servo tuo,
qualiter amabit te?
Veni post me
intrepide
et abnega te
spontanee.
Tolle crucem tuam
cotidie
et me Deum tuum
sequere.

IESVS AD DILECTVM.

Mundus gaudebit,
sed quid hoc ad te?
Tu contristaberis,
quia ad quae
Pater misit me
ego misi te.
Tolle crucem tuam
cotidie
et me Deum tuum
sequere.

DILECTVS AD IESVM.

Quia me vilem homunculum,
omnium novissimum,
elegisti in tuum servulum,

o Iesu benignissime,
quid umquam potero
tibi pro hoc retribuere?
Tolle crucem tuam
cotidie
et me Deum tuum
sequere.

IESVS AD DILECTVM.

In cruce mecum permane
et usque ad mortem
noli deficere,
confortare,
crede mihi
et expecta me.

Et si quid ex proprio
supererogaveris pro me,
ego cum rediero,
reddam tibi plenarie.

DILECTVS AD IESVM.

Quia, ut dignus es,
non valeo te diligere,
en paratus sum
me perdere
et totum pro te mundum
despicere,
o Iesu dulcissime,
qui es esse, posse
et meum vivere.

IESVS AD DILECTVM.

Et si quid *ex proprio... (vt supra).*

XXI.

COMPASSIO ANIMAE DEVOTAE SVPER CONTRITIONE ET DOLORE BEATAE MARIAE VIRGINIS.

CVm sub cruce sedet maerens
mater Dei Iesum ferens
in castitatis gremio,
Lacrimatur multum,
dum inspectat vultum
deformatum in filio.
Osculatur ore pio
rubra Iesu vulnera
ambit utroque bracchio
dorsum atque latera.
O Maria, rubens rosa,
candens lilium
dulcis, pia, amorosa,
placa filium.
Quem infantem laeta genuisti
angelis canentibus,
hunc de cruce sumptum tenuisti
bracchiis dolentibus.
Compatere Christo et matri suae
anima fidelis,
si cupis gaudere te perpetue
cum eis in caelis.

Iesu, fili Dei,
miserere mei
piae matris tuae precibus.
Salva me per crucem,
duc ad veram lucem
tecum, quaeso, in caelestibus.
Qvi latroni paenitenti
paradisum promisisti,
parce mihi delinquenti
quem sanguine tuo redemisti.
Filiae Ierusalem, venite et videte,
convertimini ad Crucifixum et dolete.

XXII.

CANTICVM DE GAVDIIS CAELESTIBVS ET NOVEM CHORIS ANGELORVM.

Qualis quantaque laetitia
resonat in caelesti patria,
Vbi Iesus gaudet cum Maria
Laeto vultu, dulci melodia.
Astant angelorum chori,
laudes cantant Creatori,
Regem cernunt in decore,
amant corde, laudant ore.
Tympanizant, citharizant,
volant alis, stant in scalis,
pulsant nolis, fulgent stolis,
coram summa Trinitate.

Clamant sanctus, sanctus, sanctus,
fugit dolor, cessat planctus,
laetos omnes reddit cantus
in superna civitate.

Concors vox est omnium
Deum collaudantium,
fervet amor mentium
clare speculantium
beatam Trinitatem
in una Deitate.

Qvam adorant seraphin
ferventi cum amore,
venerantur cherubin
ingenti cum honore,
mirantur nimis throni
de tanta maiestate.

Dominationes hos sequuntur,
summo bono plene perfruuntur,
quibus principatus coniunguntur
laetabunda semper caritate.

Potestates cum virtutibus
micant signis, tonant nubibus,
malos arcent, bonis parcent
admiranda semper pietate.

Archangeli cum angelis
alte iubilant in caelis,
vigilant, custodiunt,
visitant, erudiunt
pusillos cum maioribus.

Preces Deo offerunt,
dona eius referunt,
defendunt humiles,
confortant debiles,
exultant cum cantoribus.

Hos ergo honorare
nos decet et amare
sinceris mentibus,
votis ferventibus,
lingua, doctrina, moribus.

XXIII.

DEVOTUM CANTICVM DE GLORIA CAELESTI ET SANCTORVM ANGELORVM ET OMNIVM SANCTORVM.

quam praeclara regio
et quam decora legio
ex angelis et hominibus.

O gloriosa civitas,
in qua summa tranquillitas,
lux et pax in cunctis finibus.

Cives huius civitatis
veste nitent castitatis,
legem tenent caritatis,
firmum pactum unitatis.

Non laborant, nil ignorant,
non temptantur, non vexantur,
semper sani, semper laeti
cunctis bonis sunt repleti.

O quam beata societas,
in qua regnat Deus Trinitas,
abundat ibi pietas,
cunctos illustrat veritas.

Laudem ergo Deo dicite,
omnes sancti, simul psallite,
qui vos per suam gratiam
ad tantam duxit gloriam.

Benedictus Deus. Amen.

XXIIII.

DE GLORIA CAELESTIS IERVSALEM QVOAD DOTES GLORIFICATI CORPORIS. HYMNVS.

Ierusalem luminosa,
vere pacis visio,
felix nimis ac formosa
summi regis mansio,
de te o quam gloriosa
dicta sunt a saeculo.

De tuae quitquid scripserunt
sancti laudis gloria,
tantum nobis hoc liquerunt
pia pro memoria,
penetrare nequiverunt
fundi tui condita.

Lapidibus ex politis
structa tu mirifice,

gemmis, auro, claris vitris
decoraris undique,
portae fulgent margaritis,
plateae sunt aureae.

In te iugiter iucundum
alleluia canitur,
sollemne ac laetabundum
semper festum agitur,
totum sanctum, totum mundum
in te quitquid cernitur.

In te numquam nubilata
aeris temperies,
sole solis illustrata
semper est meridies,
in te non nox fessis grata,
nec labor nec inquies.

In te florida vernalis
perdurat amoenitas,
ferax semper aestivalis
rutilat serenitas,
autumnalis seu brumalis
procul est frigiditas.

Qvitquid libet hic dulcoris
avium in cantibus,
quitquid iubili canoris
musicis in actibus,
in te plenum hoc saporis
abundat diffusius.

In te robusta iuventus
in aevum non deperit,

senex seu morte praeventus
in te nec est nec erit,
sed neque futurum tempus,
praesens numquam praeterit.

In te nec quitquam molestum
nec languor nec gemitus
nec umquam quid immodestum
nec dolus nec facinus,
sed neque quid inhonestum
nec culpa nec dedecus.

Lex membrorum animalis
erit plene mortua,
nova caro spiritalis
erit menti subdita
vivaque vis sensualis
rationi consona.

In te vivus continetur,
fons bonorum omnium,
in quo plene possidetur
proprium ad libitum,
quitquid corpori videtur
sive menti congruum.

In te florens pulchritudo
supra solem fulgida,
velox nimis promptitudo,
prout vult, agillima
praepotensque fortitudo,
virtus ut angelica.

In te libertatis claret
insignis nobilitas,

numquam languet, numquam aret
confirmata sanitas,
voluptate numquam caret
iugis haec integritas.

In te durat longitudo
sempiterni temporis,
quae plena beatitudo
reformati corporis,
in hac par similitudo
redemptis et angelis.

O quam vere gloriosum
eris corpus fragile,
cum fueris tam formosum,
forte, sanum, agile,
liberum, voluptuosum,
in aevum durabile.

Nvnc libenter ac ferventer
laborum fer onera,
habeas ut affluenter
dona tam magnifica
doterisque luculenter
gloria perpetua.

Aeterne glorificata
sit beata Trinitas,
a qua caelestis fundata
Ierusalem civitas,
in qua sibi frequentata
sit laudis immensitas. Amen.

XXV.

DE GLORIA CAELESTIS IERVSALEM QVOAD DOTES GLORIFICATAE ANIMAE. HYMNVS.

NEc quisquam oculis vidit
neque ullis sensibus,
nec quis cogitare scivit
de mundo viventibus,
quae bona Deus promisit
hic se diligentibus.

Si caro glorificata
dona capit talia,
anima plene beata
habebit o qualia
sibi nude revelata
sponsi sui gloria.

Ibi namque sciendorum
plena sapientia,
cunctorum ac singulorum
concors amicitia,
nostrorum ut oculorum
iucunda concordia.

Ibi verae potestatis
gloriosa dignitas,
singulis ut Dei natis
honoris sublimitas,
gaudium aeternitatis
veraque securitas.

Sic mens habebit tenorem
totalis scientiae,
amicitiae dulcorem,
pacis ac concordiae,
potestatem et honorem
gaudens securissime.

Eia quam mire gaudebit
beata tunc anima,
cum circumquaque habebit
tam immensa gaudia
nec ullo umquam egebit,
augetur quo gloria.

Omni sensu sensitive
vigens Deum sentiet
menteque intellective
clare hunc intelleget,
quem amplectens unitive
supra mentem diliget.

Vultu sponsi erit laeta
tunc vis irascibilis,
summo bono tunc quieta
vis concupiscibilis
totaque vero repleta
vis rationabilis.

Ratio tunc veritate
clare illustrabitur,
memoria summa pace
plene quietabitur,
voluntasque bonitate
tota transformabitur.

Consecuta iam praedicta
foris, intus, undique
sancta mens quam benedicta
coram rege gloriae
sic tota circumamicta
claritatis lumine.

O quantum haec iucundatur
sponsi praesens vultui,
quae intrasse gloriatur
in gaudium Domini,
cibo quoque saginatur
eodem, quo angeli.

Noli flere nec tristari,
homo pusillanimis,
si contingat te gravari
laboribus variis
seu graviter inpugnari
temptamentis daemonis.

En audis, quod non condignae
passiones saeculi
ad promissum tam insigne
sempiterni praemii,
quo dotabuntur benigne
cuncti Dei famuli.

Auctor lucis et rex pacis,
dona participium
tuae nobis claritatis
per unicum Filium
perque fontem caritatis
almum tuum Spiritum. Amen.

XXVI.

IN ABSENTIA SPONSI TEMPORE TRIBVLATIONIS. HYMNVS.

Quam glorificum
solum sedere
corque pacificum
secum habere,
sponsum per speculum
mente videre
neque contrarium
quitquam timere.

Experientia
haec multum cara,
heu brevis, modica
nimisque rara,
grandis militia
vita nam nostra,
qua mala plurima
bonaque pauca.

Quia iniquitas
multum excrescit,
fervida caritas
heu refrigescit,
hinc contrarietas
nunc circumquaque,
intus timiditas,
deforis pugnae.

Cur mihi misero
lux est collata,

cui afflictio
heu cumulata?
quidnam in saeculo
quam gravis labor,
quam tribulatio
frequensque dolor?

Vilis pulvicule,
cur querularis,
hic multifarie
cum tribularis?
nescis, quod otio
non nunc torpendum,
sed iugi gladio
magis utendum?
Vt aurum purius
igne purgatur,
meus sic filius
poena probatur,
ego quos diligo
semper castigo,
nec servus domino
maior est suo.
An tibi excidit,
quod relegisti
hic crux quod extitit
totum, quod vixi,
caput nec habui
quo reclinarem,
hic auctor saeculi
cum exularem?

Quanto hic amplius
humiliaris,
tanto perfectius
mihi aequaris,
qui sum altissimus
Deus de Deo,
sed tamen minimus
in nequam mundo.

Mea humillima
mater Maria
omnium ultima
hic reputata,
quanta nunc gloria
est sublimata,
hic per poenalia
tanta probata.

En singulariter
mihi dilecti
cuncti poenaliter
sunt hic affecti,
virtutum meritis
per hoc repleti
nunc caeli praemiis
semper sunt laeti.

Est mihi patiens
pauper acceptus,
clarus hic insolens
semper despectus,
mundo quod inclitum
est, honoratur,

mihi ut foetidum
abominatur.

O si perpenderes
mea promissa,
libens appeteres
quaeque molesta,
posses ut consequi
gaudia caeli,
quae habent singuli
hic pro me passi.

En pacis tempore
plures amici,
pugna sub onere
probantur ficti,
sic vere noscitur
adversitate,
fidus quis dicitur
prosperitate.

Nil mihi carius
vales praestare,
tibi quam funditus
renuntiare,
cuncta contraria
sponte sufferre
haecque ut munera
mihi offerre.

Si nam iniquitas
non dominetur,
felix adversitas
semper meretur,

est via regia
haec electorum
ducens ad atria
regni caelorum.

Hic patientiam,
Iesu, largire
tuamque gratiam
hic impartire,
meis in omnibus
tua voluntas
sit gravaminibus
summa voluptas.

Hic tibi studeam
o conformari,
hic cruce valeam
o terminari,
ut qui supplicio
tibi sodalis,
caeli convivio
sim commensalis.

Da hoc, Ingenite
rerum creator,
da, Vnigenite
mundi salvator,
daque, Paraclite,
utrius amor,
tibi perpetue
sit laus et honor. Amen.

XXVII.

DE LVCIDA DISPOSITIONE CAELESTIS IERVSALEM QVOAD ANGELICAS HIERARCHIAS.

HYMNVS.

IN urbe mea
Ierusalem summa
sunt en tot luces,
quot ibi felices,
quam et illustro
iugiter me ipso,
lumine vero.

Est perpes vita
haec pulchre polita
mea sophia
trina hierarchia,
haec angelorum
virtutum sacrarum
me propalantum.

Cunctis praelata
seraphin beata,
ibi ferventer,
semper excellenter
ardent amando
amantque ardendo,
sed igne Deo.

Cherubin latet
nihil, sed his patet
totius plenus



rocure Générale, Paris 229 LANCELOT, PINXIT

SANCTUS J. B. M. VIANNEY

Parochus vici Ars

(EFFIGIES EX PLURIBUS DOCUMENTIS INEDITIS)

APUD SANCTUARIUM EJUSDEM SANCTI ROMÆ-MONTEVERDE

nprimé en France

Cuncta me posse
proprium ad velle,
sed potestatem
omnem a me datam
sunt venerantes

multumque mirantes
en potestates.

Stupore digna
facientes signa
virtutes sacrae
probant in se clare,
quod sim virtutum
dominus cunctarum
datorque harum.

Vt ipsi volunt,
archangeli noscunt
nude secreta
consilia mea,
his mundo totum
me fore tremendum,
plus diligendum.

Abyssus multa
iudicia mea,
non sunt occulta
angelis haec ultra,
nundinas pandant,
ut me, si non amant,
saltem pavescant.

Sic per creatos
spiritus beatos
Deus occultus
fio manifestus,
illucens primis
revelor his imis
cunctis communis.

Seu sint ardentes,
seu plene scientes,
seu dominantes,
vel quid nuntiantes,
quod sunt, quod valent,
totum a me habent,
semper quem vident.

Plene cibantur,
dum me contemplantur,
qui horum totus
sum cibus et potus,
claritas, virtus
horum est vestitus
mire politus.

Me incessanter
laudantes amanter,
hinc hi beati
perpetim firmati,
hinc gloriosi
semper luminosi,
similes mihi.

Sunt hi viventes
me vita fruentes,
pulchre lucentes
me lumen videntes,
sunt et divini,
di quoque igniti
mihi uniti.

Fragilis homo,
sic vivito modo,

iungaris ut his
angelis beatis,
hoc me donante,
te cooperante,
vales sperare.

Quidni praesumas,
cum hinc sis et vivas,
ut tu sis mihi
similis, ut ipsi?
hinc hos creavi,
te quoque plasmavi,
multum amavi.

Quorum nunc status
fueris sectatus,
horum consortem
scias te post mortem,
hic labor qualis,
merces erit talis
tunc aeternalis.

Rex angelorum,
corona sanctorum,
pie dignare
nos his sociare
ad te laudandum
et glorificandum
in sempiternum. Amen.

XXVIII.

DE VARIIS MANSIONIBVS ET PRAEMIIS ELECTORVM CAELESTI IERVSALEM. HYMNVS.

IN domo Patris
summae maiestatis
ecce sunt pulchrae
mansiones multae,
quae sunt certantum
pro virtute tantum
ac triumphantum.

Ibi Maria,
virginum regina,
o quam beata,
quae cunctis praelata
mihi propinquam
sedem tenet primam,
angelis altam.

Gaudens laetatur,
quia contemplatur
me suum natum
unice praelatum
in dextra Patris
omnibus creatis
atque beatis.

Ei Adam vetus
quam felix, quam laetus
mihi applaudit,
cum videt et audit

genus humanum
per ipsum damnatum
per me salvatum.

Sed patriarchae
tripudiant laude
sibi promissum
cernentes impletum,
per me credentes
benedictae gentes
sunt et viventes.

Mihi prophetae
citharizant laete,
quod meruere
me clare videre,
quem praedixerunt
mundo, dum vixerunt,
nec fefellerunt.

David psalmista
meusque baptista
praespecialem
habent claritatem,
qui me venturum
non tam prophetarunt
quam demonstrarunt.

Sunt quam praeclari
apostoli cari
mecum sedentes,
mecum decernentes,
qui se spernebant,

cuncta relinquebant,
mihi haerebant.

Martyres fortes
me per mille mortes
testificati
fulgent rubricati,
habent splendorem,
roseum candorem,
altum honorem.

En patientes
sunt mecum nitentes
tot margaritis,
quot triti pressuris,
gemitusque horum
sunt causa splendorum
ac gaudiorum.

Iuxta labores
suos confessores
remunerantur
atque decorantur,
sunt horum stolae
mixto de colore
purpurae more.

Auream torquem
possident in sortem
mihi dilecti
doctores electi,
quorum doctrina
floret fides mea
in omni terra.

Sunt epulantes
mecum et cantantes
monachi veri
musto meo pleni,
nam priscus labor,
disciplinae rigor
ipsis nunc sapor.

Anachoritae
nec non eremitae
lucide mecum
meum cernunt vultum,
pro quo videndo
se dabant tam arto
vitae statuto.

Oboedierunt
et se qui fregerunt,
mihi sodales
et stolis aequales,
iam nil, quod nolunt,
sed omne, quod volunt,
facere possunt.

Humiles, mites
sunt, o quam sublimes,
mundo despecti
sunt a me complexi,
qui quondam imi,
nunc iuxta me primi
celso sedili.

Virgines mundae
mecum quam iucunde

ducunt choream
caelicam per aulam,
mire fraglantes,
coronas gestantes
meque laudantes.

Ac viduarum
gloria castarum
nequaquam parva,
sed nimis est magna,
quae sponsis spretis
amplexibus laetis
fruuntur meis.

Sunt mihi grati
sancti coniugati,
per quos fit aucta
Ierusalem sancta,
nam prole horum
numerus meorum
crescit sanctorum.

Sed continentes
mecum sunt habentes
en tot coronas,
quot vicere pugnas,
hinc clariores,
quo sunt graviores
passi labores.

Ast innocenter
vixere qui semper,
quantum laetantur,
o quantum mirantur,

quod sunt servati
culpis a peccati,
sub quo sunt nati.

Sunt paenitentes
non minus gaudentes
ipsis mundatis
cunctis a peccatis,
hinc gloriantes
meque laudantes
sunt iubilantes.

Servus ac liber,
locuples ac pauper,
nemo exceptus,
cuiusvis sit sexus,
quilibet satis
habet claritatis
in regno pacis.

En mecum omnes
caelici nunc cives,
quam mire gaudent,
pleniter qui habent,
quod optavere
umquam obtinere,
quando vixere.

Terram spernendo,
superis haerendo
re nunc coneris,
ut sanctus proberis,
tu claritatis

caeli cum beatis
particeps ut sis.

Causa cunctorum
fontalis bonorum,
Trinitas sancta,
praemiorum summa,
tu superdigna
laude quam immensa
semper et ultra,

Da, quod beati
sanctis adunati
nos et ferventer,
iugiter ac semper
te adoremus,
te glorificemus
teque laudemus. Amen.

XXIX.

ITEM DE GLORIA CAELESTIS IERVSALEM IN COMMVNI. HYMNVS.

Visquis valet numerare
beatorum numerum,
horum poterit pensare
sempiternum gaudium,
quod meruerunt intrare
mundi post exilium.

De valle plorationis
erepti feliciter,
annos iam afflictionis
cogitantes dulciter
omnis consummationis
finem vident iugiter.

Suum cernunt temptatorem
in poenis perpetuo,
suum pium Salvatorem
collaudant in iubilo
quem et remuneratorem
sentiunt in praemio.

Ibi dona singulorum
communia omnibus,
de donis universorum
tripudiat singulus,
sic fit plenus praemiorum,
etiamsi minimus.

O quantum dat claritatis
toti caeli curiae
mater Regis maiestatis,
Maria, vas gratiae,
quae cunctis grata beatis
gloria quam facie.

Mariae nimis mirantur
gloriam quam merita,
nam in ipsa contemplantur,
sua cuncti praemia,
semper ab hac illustrantur
clariori gloria.

Huic coetus angelorum
congaudet et hominum,
hanc chorus apostolorum
collaudat ac martyrum,
huic turba confessorum
applaudit ac virginum.

Eia merito et iure
sic omnes et singuli
Mariam honorant pure
tripudio gaudii,
namque ope suae curae
reparantur perditi.

Nunc per speculum videmus,
umbris et aenigmate,
tunc ut noti cognoscemus
pure, nude, lucide,
clarum visum nam figemus
en in lumen gloriae.

Personarum trinitatem
clare speculabimur,
essentiae unitatem
nude contemplabimur,
Vnitatem, Trinitatem
in Vno mirabimur.

Semper noviter dulcescet
omnis veri notio,
summi boni non tepescet
fervida dilectio,
verae pacis non languescet
iucunda fruitio.

Deo ferventer vacantes,
ut est, hunc videbimus,
ipsum ferventer amantes
ad votum habebimus,
quem videntes et zelantes
pares ei erimus.

Tunc erimus transformati
in Deum totaliter,
di quoque deificati
supernaturaliter,
filii Dei adoptati
nunc et aeternaliter.

In Dei fruitione
expirando moritur,
in eius laudatione
respirando oritur,
in hac alternatione
perpes vita colitur.

Iam homo noli timere
quaecumque gravamina,
per haec vales optinere
tam immensa gaudia
lucisque lucem videre
per aeterna saecula.

Vitae dator, summe Parens,
tibi benedictio,
sit laus, decus semper clarens
semper tuo Filio,
sit et honor fine carens
inclito Paraclito. Amen.

XXX.

DOMINICIS DIEBVS. HYMNVS.

EN dies est Dominica,
summo cultu dignissima
ob octavam Dominicae
resurrectionis sacrae.

Haec, quamdiu hic vivitur,
septimanatim colitur,
ne umquam nobis excidat,
quid Christus surgens dederat.

Spem certam vitae caelicae
manentis et perpetuae
resurgens nobis contulit,
quae diu latens extitit.

Christi nam resurrectio
nostra scitur provectio,
quotquot in ipsum credimus,
cum ipso resurreximus.

In ipso sumus singuli
facti superditissimi,
sunt sua quaeque propria
nobis facta communia.

Claritas, perpetuitas,
beata immortalitas,
gaudia, pax, deliciae
ex eius nobis munere.

Horum pia memoria
die fiat Dominica,

ne maneamus inscii,
cur dies fertur Domini.

Hac die surgens Dominus
non morietur amplius,
quod in ipso realiter,
in nobis sit mentaliter.

Hac die resurrectio
a quovis fiat vitio,
ne per consensum libera
huic succumbat anima.

Recolat ante omnia
pius die Dominica
decem praecepta Domini
articulosque fidei.

Renovet et memoriae
sacramenta ecclesiae
cum similibus ceteris
fideli necessariis.

Maxime nunc mens caveat,
ne lingua festum polluat,
offendens lingua gravius
quam manuum operibus.

Instandum iam alacrius
piis actibus, precibus,
devotis exercitiis
sanctisque desideriis.

Studeat iam praecipue
pia mens requiescere

tranquilla conscientia
in Deo, qui est omnia.

Occupetque ex integro
mentem Dei dilectio,
ut mens haec sensibilia
non sentiat ut mortua.

Penset, quid sit, quo venerit,
ubi sit, cur creata sit,
quorsum erit et reditus
votis cunctis et actibus.

Ex Deo in miserias,
luce venit in tenebras,
quae ad Dei imaginem
facta et similitudinem.

Illuc sit eius reditus,
unde ipsius exitus,
beata sit, non misera,
lucida sit, non nubila.

Recordetur originis
suae primae praenobilis,
ut se pudeat vilibus
occupari terrestribus.

Spiritalis origine
divina est et genere,
factura nobilissima
angelorumque socia.

Homo quam sit praenobilis,
statura monstrat corporis,

qui rectus suet incedere
erecto sursum capite.

Est lumen vultus Domini
suo impressum vultui,
mentis ut sit effigies
viva hominis facies.

Interna sapientia
facie lucet ab extra,
quae testis est exterius,
homo qualis interius.

Est quoque tau vivifico
insignitus signaculo,
prodens per hoc, quod proprius
sit Crucifixi servulus.

Praesentem mens Dominicam
comparet ad praeteritam,
penset, quantum profecerit,
quantum quoque defecerit.

Mala detestans caveat,
bona servare studeat
instantemque hebdomadam
novam putet militiam.

Intime quoque gaudeat,
quod adhuc tempus habeat,
profectum posse facere
tam gratiae quam gloriae.

His piis exercitiis
occupari mens humilis

die debet Dominico,
dum manus cessat actio.

Tibi factori temporum,
qui vera quies mentium,
sit laus, honor et gloria
hac die et in saecula. Amen.

XXXI.

IN DIEBVS CELEBRIBVS. HYMNVS.

IN diebus celebribus
cessandum est ab actibus
vetitis et illicitis,
quieti mentis nocuis.

Nequaquam tunc mens exeat,
sed collecta permaneat
apud sese in intimis
clausis sensibus corporis.

Quidni mens tunc praecipue
interna mentis requie
cultum adoret per pium
Deum et suum Dominum?

Ratio et memoria,
voluntas quoque libera
vacent tunc Deo penitus
totis animae viribus.

Solum in Deo gaudeat,
hunc offendisse doleat,

spem timoremque integrum
in suum vertat Dominum.

Speret eius praesentiam,
timeat et absentiam
referens ad hunc omnia
seu adversa seu prospera.

Penset in se subtilius,
quid sibi pius Dominus
dederit seu dimiserit,
quid dabit ac promiserit.

Dedit sibi innumera
bonorum beneficia,
quitavit hanc a vitiis,
bonis dotabit aeternis.

Dona revolvat intime
tam naturae quam gratiae,
quae malorum supplicia,
quae bonorum et praemia.

Penset, ut haec acquireret
et ut illa evaderet,
tormentis quam crudelibus
se exposuit Dominus.

Insuper vacans corpore
mens assuescat revolvere,
quae qualisque sit requies,
qua caeli fruuntur cives.

Vt hanc queat liberius
speculari tunc animus,

interdicitur actio
servilis die festivo.

Hinc se super se sublevet
attenteque consideret,
quae sanctorum sint gaudia
in Ierusalem supera.

Penset, quantum hi gaudeant,
cum iam pleniter habeant,
quitquid ipsi voluerint
careant, quod noluerint.

Intus, foris et undique
sancti pleni sunt gloriae,
cum in Dei praesentia
sint, qui omnibus omnia.

Illi vacant totaliter,
hunc vident facialiter,
hunc amant ardentissime,
hunc, quem habent plenissime.

Ex huius sola facie,
quae verum lumen gloriae,
tota caelestis curia
percipit, quae vult omnia.

O quam felix haec civitas,
ubi beata Trinitas
mundis videtur cordibus,
quae est gloriae terminus.

Ex hac curiae claritas,
ex hac concors societas

caelestium spirituum
ac beatorum mentium.

Omnium nisu virium
laudare Patrem luminum
unica harum actio,
quies huius fruitio.

Ab his addiscat animus,
ut diebus celebribus
quies eius seu motio
divina sit laudatio.

De bonis iam exhibitis
seu de futuri temporis
laudet Deum vivaciter,
mentaliter, vocaliter.

Quisquis festis celebribus
sic Dei vacat laudibus,
in se ipso hic optime
scit sanctos dies colere.

Hoc nobis da perficere,
Rex sempiterne gloriae,
ad tui laudem nominis
concinendam cum angelis. Amen.

XXXII.

SEQVITVR HYMNVS DE ADVENTV DOMINI.

VEni, veni, Rex gloriae
educque nos de carcere

mordentis conscientiae
dimisso cuncto crimine.

Quamvis vero instruxeris,
emeris, liberaveris,
quid prodest, ni eduxeris
nos de squalore carceris?

Est carcer multum horridus,
tenebrosus ac foetidus
impurus omnis animus,
criminis sibi conscius.

Hic multam fert miseriam,
panis vitae carentiam,
aquae vivae penuriam,
verae lucis inopiam.

Verme mentis corroditur,
culpae foetorem patitur,
luxus affectu uritur,
metus frigore stringitur.

Iam iam gehennae traditus
ut inflammatur ignibus,
sic culpae vivens animus
cruciatur timoribus.

Poena sibi gravissima
est foeda conscientia,
nam tormenta tartarea
scit sua fore praemia.

Haec quis umquam evaderet,
ni Deus homo fieret

hominemque redimeret
ac de culpis educeret?

Omnes culpa concipimur,
enutrimur ac nascimur,
mundi ab hac educimur,
si fide Deo iungimur.

Te, fabricator saeculi,
praebe praesentem homini,
donans formam remedii,
quo subtrahatur carceri.

Da nobis, fons munditiae,
nitorem conscientiae,
ut in ea tu sedule
digneris requiescere.

Aufer quodque obstaculum
inter nos et te medium,
ut tibi habitaculum
sit cor nostrum gratissimum.

Priva nos ignorantia,
quae mala docet plurima,
donaque nos scientia
horum, quae sunt utilia.

Cura mali pruriginem,
peccandi consuetudinem,
reduc tuam imaginem
in nativam originem.

Transfer irae de filiis
nos in filios luminis,

qui tui sumus nominis,
simus et vitae simplicis.

Extirpatis defectibus
ac reformatis viribus
mens divinis virtutibus
renovetur perfectius.

Spei cedat timiditas,
regnet mater humilitas,
summa virtutum caritas
ac mundi cordis puritas.

Amet te filialiter,
non timeat serviliter,
a quo tam singulariter
mens dilecta perenniter.

Purgata mentis acie
te cernat hic aenigmate,
donec educta carcere
tua fruatur facie.

Quamlibet sit exiguum,
quo recreas hic animum,
solatur tamen nimium
praesentis vitae taedium.

Quem modo dotas pignore
tuae futurae gloriae,
eia educ plenissime
de huius carnis carcere.

Ei educ hunc de tenebris
huius foetentis carceris,

ut te in regno luminis
semper laudet cum angelis. Amen.

XXXIII.

ITEM DE NATIVITATE DOMINI.

HYMNVS.

Apparuit benignitas
Dei nec non humanitas
ex caritate nimia
ad nos atque gratuita.

O amor quam extaticus,
quam effluens, quam nimius,
qui Deum, Dei Filium,
unum fecit mortalium.

Affectu superfervido,
quo nos tulit ab aeterno,
nequibat se comprimere,
qui venit nos invisere.

Non invisit nos angelo,
seu supremo seu infimo,
carnis assumens pallium
venit ad nos per se ipsum.

In se cum invisibilis
sit nostris lippis oculis,
tectus mortali tunica
huc processit ad publica.

Non solum se ostendere
voluit, sed convivere

Deus homo hominibus
hic annis triginta tribus.

Nascitur nobis hodie
pauper, exul rex gloriae,
nobis vagit praesepio
iunctus bovi et asino.

Post nobis circumciditur,
nobis et Iesus dicitur,
pro nobis stellae visio,
nobis Iesu oblatio.

Nobis baptisma suscipit,
nobis ieiunans esurit,
nobis et satan hunc temptat,
nobis temptantem superat.

Nobis orat et praedicat,
pro nobis cuncta factitat,
verbis, signis et actibus
nos quaerens, non se, penitus.

Pro nobis comprehenditur,
flagellatur, conspuitur,
crucis perfert patibulum,
pro nobis tradit spiritum.

Nobis surgit a mortuis,
nobis se transfert superis,
nobis suum dat Spiritum
in robur, in solacium.

Vere talis dilectio
non audita a saeculo

de creatura aliqua
humana vel angelica.

Homo talem non habuit,
quia transgressor extitit,
defuit hoc et angelo
fervore nimis tepido.

Dic, quis umquam spirituum
hic pro salute hominum
incarnari se pertulit:
non dico, crucem subiit?

Hoc sumus fecit Dominus
sua bonitate tractus,
qui natus dedit pretium,
quo mortis solvit debitum.

Hinc ex plena laetitia
concinamus nunc 'gloria
sit Deo in altissimis'
una cum laetis angelis.

Hos si replet sic gaudio
nostri congratulatio,
nos o quantum gaudebimus,
quibus Christus est natus.

Delectemur in proprio
nobis nunc nato Domino
tot hunc mulcentes osculis
quot eius membra corporis.

Transeamus in Bethlehem,
quo natus rex Ierusalem,

cernamus cum pastoribus
verbum, quod fecit Dominus.

En infans sapientia,
puer, qui ante omnia,
Deus pannis involvitur,
in praesepio ponitur.

Summa cum reverentia
adoremus hic singula,
dilectio hunc compulit,
quod haec Dominus pertulit.

Deo Patri sit gloria
per infinita saecula,
cuius amore nimio
salvi sumus in Filio. Amen.

XXXIIII.

ITEM DE EADEM FESTIVITATE.

NVnc Deus carens tempore
circumscribitur tempore,
nascitur et de virgine,
qui natus est perpetue.

Tempus et diem congruum,
horam locumque placitum
elegit factor omnium
ad suum natalicium.

Edicto die Dominica
nascitur nocte media

brumae sub inclementia,
peregrinus a patria.

Natus in diversorio
ponitur in praesepio,
cultu tectus pauperrimo
bove calet ac asino.

Latens mundi prudentibus
et noxa dormientibus
propalatur simplicibus
gregi invigilantibus.

Quodlibet horum maximo
refertum est mysterio,
Christi quaevis ut actio
nostra scitur instructio.

Quidni sapiant omnia,
sint quoque exemplaria,
quae Patris Sapientia
gessit nostra substantia?

Non solum nos redimere
venit, sed et instruere,
ut vita simul et morte
possit nobis proficere.

Natus edicti tempore
curat oboedientiae
virtutem notam facere
nosque ad hanc incendere.

Sub hac ipse concipitur,
nascitur, vivit, moritur

hacque venturus creditur
iudex, ut ipse loquitur.

Quid hac virtute carius,
divinius, praestantius,
quam tam vigil in omnibus
observat Dei Filius?

En die solis congrue
nascitur sol iustitiae,
per quem nox ignorantiae
dies fiet iustitiae.

Dum medium silentium
linguae tenerent omnium
iustorum prophetantium,
oritur lumen gentium.

Nascitur et in tenebris
creator omnis luminis
ut doxam laudis fragilis
spernat homo, res nobilis.

Homini quid cum gloria
vana ac deceptoria,
qui munda conscientia
vera abundat gloria?

Tempus elegit hiemis
creator omnis temporis
ut mentis gelu frigoris
a cunctis pellat perfidis.

Gelu namque perfidiae
venit Christus depellere,

fidem quoque accendere
suae caritatis igne.

Hiemis tulit frigora,
ut nos pro sua gloria
carnis spernamus commoda,
diligamus incommoda.

En quod carni molestius,
quod mundo est despectius,
quod plus foetet divitibus,
elegit Dei Filius.

Exul a domo propria,
carnis vestitur tunica,
monstrans, quod vivens anima
huic mundo extranea.

Vivere in hoc saeculo
quid quam peregrinatio?
sed clara Dei visio
nostra vera est mansio.

Hinc per omne, quod agimus,
hoc quaerimus, hoc cupimus,
ut ruptis carnis nexibus
caeli iungamur civibus.

Da, Patris Sapientia,
tua sequi humilia,
ut in Paterna gloria
te laudemus in saecula. Amen.

XXXV.

DE EADEM FESTIVITATE HYMNVS.

Nascitur diversorio
manens in Patris solio,
monstrans, quod cum hoc saeculo
nulla sibi communio.

In mundo nec est veritas
nec iustitia nec aequitas,
sed abundat iniquitas,
falsitas, fraus ac vanitas.

Hoc ergo nequam saeculum
sit nobis ut ergastulum,
ipsius ne reti fraudum
dilabamur in barathrum.

Exemplo Dei filii
simus hic vagi profugi,
sed sursum ferri cupidi
spe virtuteque animi.

Stratum Iesu praesepium
ut sit salubre pabulum
mundorum animalium,
videlicet fidelium.

Est Iesu quaevis actio,
in carne conversatio
nostrae mentis refectio
ac morum regulatio.

De Iesu tunc comedimus,
cum hunc toti diligimus,

cum eius mores sapimus
et hos sequi afficimus.

Si non sapit divinitas,
edatur vel humanitas,
ne nobis sit sterilitas
tanta Iesu dapsilitas.

Ingrederis, egrederis,
de Iesu pasci poteris
seu humanis et typicis,
seu divinis ac mysticis.

Tantis abundans dapibus
quisquis manet famelicus,
vel follus est vel ebrius,
seu homo sit vel angelus.

Pannis tegitur vilibus
Rex regum atque Dominus
dans solamen pauperibus
non verbis, sed operibus.

Quod tam praestans existeret
paupertas, quis hoc crederet,
ni Deus hanc eligeret
eiusque decus panderet?

Sic fuit, sic est, sic erit,
dives in primis hic erit,
pauperem Christus elegit,
quem ut suum hic deprimit.

Gaudeat pauper humilis,
huic mundo dissimilis,

carens nummi divitiis
abundet virtutum donis.

Quanto quis hic pauperior,
tanto Christo similior,
qui cunctis est humilior
egenisque pauperior.

Pauper hic nasci voluit,
plus pauper vigens deguit,
ac paupertatem ambiit,
sed pauperrimus obiit.

Vide Christum humillimum,
qui frigoris incommodum
utcumque per solacium
propellit animalium.

Horum namque anhelitus
calefacit uberius
infantem, qui propter frigus
sub pannis vagit vilibus.

O humilitas nimia,
o paupertas altissima,
quod a brutis solacia
capit hic, qui est omnia.

Quid quod bos nec non asinus
uterque Christo commodus,
ni quod doctus et indoctus
uterque Christo placitus?

Doctus seu idiota sit,
Iesus neminem abicit,

dummodo hunc amaverit
seque humiliaverit.

Qui verbis vita praeditis
seu luce vitae simplicis
proficiunt hic aliis,
Salvator calefit ab his.

Natus pastorum optimus
nuntiatur pastoribus,
non pigre dormitantibus,
sed gregi vigilantibus.

Numquam mentis desidia,
sed interna vigilia
percipiuntur intima
natalis Christi gaudia.

Parare nos ad gratiam
per internam custodiam
praesta, Iesu, rex gloriae,
prece laudis perpetuae. Amen.

XXXVI.

DE BEATA VIRGINE CARMEN.

AVe pulcherrima regina,
gratia divina
quam trina
beavit,
ante nec post creavit
maiorem te.

Te rex regum, Deus deorum,
dierum multorum
pro morum
virtute
sponsam in iuventute
traxit ad se.

Mira res, angelum emiserat,
tantum placuisti.
Plena es gratia, cum dixerat,
virgo concepisti,
virgo permansisti.
Dixisti.
Secundum
verbum tuum iucundum
fiat in me.

Salve laus patrum prophetarum,
glosa scripturarum
multarum,
serata
porta perambulata
Ezechiel.

Sicut rubus non concrematus,
Moysi flammatus,
scrutatus,
sic paris
nescia virgo maris
Emmanuel.

Aaron arens virga floruit
non naturae more,

Gedeon vellus mire maduit
de caelesti rore:
sic salvo pudore,
dolore
semoto,
viro gignis ignoto
per Gabriel.

Vale Esther, per te Iudaeum
salvat Mardochaeum
rex, reum
comprendit
ferox, Aman suspendit
pro scelere.

Iudith caput tu Holofernis,
qui praeest infernis,
prosternis
volentem
superbe Iuda gentem
disperdere.

Salomon regis prudentissimi
mater coronata,
in Sion sedentis
dextrae sociata,
nobis advocata
vocata,
Maria,
virgo clemens et pia,
nos protege. Amen.

XXXVII.

IVbilemus singuli
carmina promentes,
festa tanti parvuli
crebro recolentes,
eius nam nativitas
fons redemptionis,
omnibus est caritas
haut malis, sed bonis.

Natus Deus virgine
cum humanitate
absque viri semine
salva puritate
pertulit inopiam
sponte princeps natus,
negat rerum copiam
faeno praesentatus.

Inter animalia
est praesepe missus,
quem nec vestis varia
texerat nec byssus,
caelum regit, aethera,
pontum, terram, mare,
barathrum et sidera
quae refulgent clare.

Fere quosque sumpserat
plebium defectus
propter nos, qui fuerat
omnibus perfectus,

firmae patientiae
speculum ut daret,
quavis a sorditie
sicque nos purgaret.

Denique turpissimam
mortem degustavit,
creaturam infimam
per quam sublimavit,
morte non indiguit
Christus, rex caelorum,
qui subire voluit
tormenta malorum.

Imploremus igitur
corde sitibundo
monarcham, quo regitur,
quidquid est in mundo,
ut caeli palatia
nos det speculari
in aeterna patria
secumque beari.

XXXVIII.

Adiuva nos tuis precibus,
mater Christi Maria.

Oraculum aeternae vitae
et claritas caelorum,
mater Christi Maria.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Adiuva nos etc.

XXXIX.

VEnerandae estis, sacrae virgines,
quae carnis desideriis
respuistis
et in Iesu Christi servitio
permansistis,
ipsum rogate,
ut nobis indignis
propitius esse
dignetur in hoc saeculo
et in futuro.

XL.

Iesu mi dulcissime,
spes et solamen animae,
da mihi te diligere
et extra te nil quaerere.

Maria, mater gratiae,
mater misericordiae,
tu nos ab hoste protege
et hora mortis suscipe.

Agnes, virgo mitissima
et Christo dilectissima,
pro tuis ora servulis,
ut floreant virtutibus.

O Maria Magdalena,
audi vota laude plena,
aput Christum locum istum
tuis commenda precibus.

O beata Katharina,
devota Christi famula,
per tua sacra merita
excusa nostra vitia.

Gloria tibi Domine
qui natus es de virgine,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula.

XLI.

TOta pulchra es,
amica mea,
et macula non est in te,
favus distillans labia tua,
mel et lac sub lingua tua,
odor unguentorum tuorum
super omnia aromata,
iam enim hiems transiit,
imber abiit et recessit,
flores apparuerunt,
vineae florentes odorem dederunt,
et vox turturis audita est
in terra nostra,
surge,
propera,
amica mea,
veni de Libano,
veni, coronaberis.

XLII.

IESVS AD DILECTVM SVVM VACANTEM SIBI ET INTENTVM.

FIli mi dilecte,
in omnibus crede te mihi
et recurre ad me,
quia mihi cura est de te,
sicut ab aeterno disposui
et volui de te,
sic ambula fideliter coram me.
Mane in me
et dilige me
qui ab aeterno
dilexi te (versus).

DILECTVS AD IESVM.

En pater meus es tu,
qui semper amasti me,
in omnibus te laudando
glorifico te
et prae omnibus eligo te
et do tibi me.
nec quicquam cupio extra te,
tamen non cessas sic affari me.
In omnibus (versus).

DILECTVS AD IESVM.

En totus tuus sum, dilectissime,
et omnia mea a te et in te,
sicut tu vis, sic semper fiat de me.
Mane.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Fili mi etc.

XLIII.

DE HOC QVOD ANIMA DEVOTA SOLVMMODO DEVM QVAERERE DEBET.

QVem quaeris, anima mea,
quem quaeris? quaere illum,
in quo sunt omnia bona,
et sufficit tibi.
Hic est dominus, Deus tuus,
rex caelestis,
Et sponsus Iesus Christus (versus).
Quare ergo dereliquisti
sponsum tuum? quid displicuit
tibi in illo?
Pulchritudo eius, an gloria eius? (versus.)
Vere non est in caelo
neque in terra
talis sicut est
dilectus tuus.
Et sponsus.

XLIIII.

DE AMORE DEI ET SVAVITATE INTERNAE CONSOLATIONIS QVAM MAXIME MERETVR PERCIPERE SILENTIO ET SOLITVDINI DEDITVS.

ECce quam bonum
et quam iucundum est

sedere solum
et tacere
et adventum praestolari
dilecti amici Iesu Christi.
Ipse est, quem diligit
anima mea.
Haec vox dilecti mei
prospiciendo per fenestras
in cellam meam.
Ecce assum (versus).

En dilectus meus loquitur mihi,
surge, propera,
amica mea et veni.
Ipse est (versus).

Ecce ego sto
ad ostium et pulso,
aperi mihi, amica mea.
Haec vox (versus).

Anima mea liquefacta est,
ut dilectus locutus est,
quaesivi illum et inveni,
vocavi, et respondit mihi.
Ecce.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Sicut erat in principio.
Ipse est.

XLV.

Serviat tibi, Domine,
Deus meus,

quidquid cogito,
quidquid loquor,
quidquid operor,
tuum est enim
totum, quod habeo.

XLVI.

EXaudi, Domine,
orationem servi tui
et da mihi cor rectum,
castum et humile,
ut habeam te semper
in memoria mea.
Et voluntas tua
in medio
cordis mei permaneat.
Mitte sanctum
angelum tuum, Domine,
de sanctuario tuo,
ut me custodiat
et benedicat.
Et voluntas.

XLVII.

lux videntium,
o vita viventium,
o corona vincentium,
o solamen maerentium,
o gloria humilium,
o fortitudo debilium,

quando egenum et pauperculum
invitabis ad convivium?
quando servorum tuorum ultimum
assumes in angelorum consortium,
ut collaudem te, Patrem luminum,
ac fruar te ipso in perpetuum?

XLVIII.

sanctissime amator hominum,
qui es esse, vita et lux omnium,
unus omnia vivificans,
circumplectens et implens,
qui et omnia creans
et superexcedens,
totus ubique praesens,
disponens omnia et regens,
incircumscriptus et incomprehensibilis,
puris mentibus fruibilis,
in angelis desiderabilis,
in sanctis delectabilis,
in creaturis admirabilis
et in hominibus valde amabilis,
Te decet laus et gloria
Per infinita saecula.
O abyssalis aeternitas,
o incommutabilis veritas,
o incomprehensibilis caritas,
trina Vnitas et una Trinitas,
Te decet.
O quando tibi praesentabor,

o quando te, ut es, contemplabor,
o quando te laudabo,
cum sanctis angelis et clamabo.
Te decet.
O quid mihi est in caelo,
et a te quid volui super terram,
cum te solum cognoscere
sit beate vivere.
Per infinita.

XLIX.

Et erit opus iustitiae
pax, et cultus iustitiae
silentium,
Quia haec dicit Dominus,
Deus sanctus
Israel.
In silentio et spe erit fortitudo vestra.
Hinc, ut agnus, obmutui
ego Iesus, amator silentii,
regi et pontifici
dum iudicandus astiti.
Quia.
Quid mirum, si et tu, ut turtur, fugias
solliciteque cor et os custodias,
ne in lingua delinquas,
quisquis id pie ruminas.
In silentio.
En ego, mater Domini,
hinc coram Gabriele obmutui,

ego, baptista Christi,
cultor eram eremi.
Quia.

O quisquis delectaris silentio,
vere tu frueris manna abscondito,
verbosis incognito,
contestans experimento.
In silentio.
Dic tu, sancte Arseni,
solitarii forma silentii,
homines cur fugisti,
tacuisti,
quievisti?
Quia.

Eia nunc scio
nihil iucundius
quam latendo,
ut mutus, mundo mortuus,
pacis frui fructibus
et eructare dulcius.
In silentio.

L.

Fidelis sermo
et omni acceptione dignus,
quia Christus Iesus
venit in hunc mundum,
peccatores salvos facere,
et qui aequalis est Patri,
incomprehensibilis in divinitate,

fieri dignatus est frater et servus noster
in humilitate.

Hic est ille Iesus altissimus,
principium et finis omnium,
carens fine
nec habens initium.

Hic est ille Iesus humillimus,
qui pro nobis factus vermis
et obprobrium omnium
mortem subiit crudelissimam.

O quantum a nobis diligi meruit,
qui talis ac tantus
nos peccatores tantum amavit.

LI.

Maria, pudoris sui custos fidelissima,
sicut turtur erat solitaria,
elongans et fugiens
atque in solitudine cordis secum commanens,
nidulo castitatis insidens
ac sanctae meditationis pullos
ad robur consummatae virtutis
fructibus contemplationis enutriens.
Haec mitissima Maria
secreti amica,
quietis studiosa,
in cubiculo assidua,
in publico rarissima.

Haec humillima Maria
tumultus oderat,
occursus fugiebat,
ne saepius visa
obscenam conscientiae
vel famae maculam contraheret.
Eia gemma pudicitiae,
confer nobis sic vivere.

LII.

praegrandis
vitae sanctissimae virginis
Mariae excellentia
multiplex et ineffabilis,
Cuius conversatio et vita
extitit profunda in humilitate,
Alta in castitate,
ampla et lata in caritate,
longa ad omnes in misericordia et pietate.
Eia virgo divinissima,
merito tu superbenedicta
in aeterna saecula.

LIII.

go sum mater misericordiae,
plena caritate et dulcedine.
Ego sanctorum specialis laetitia,
quia pia sum.

Transite ad me omnes,
qui diligitis me,
et ab uberibus
consolationis meae adimplemini,
quia pia sum.

LIIII.

Si insurgunt
venti temptationum saeculi contra te,
noli nimis expavescere,
sed recordare
et Respice stellam maris,
voca Mariam, matrem Dei.
Ipsa enim tenente
non corrues,
ipsa protegente
non nocebit inimicus.
Respice.

LV.

REgnum mundi
et omnem ornatum saeculi
omnemque consolationem creaturarum
[contempsi
propter amorem Domini mei
Iesu Christi.
Quem vidi, quem amavi,
in quem credidi,
quem dilexi (versus).
Elegi abiectus esse

in domo Dei mei
magis quam habitare
in tabernaculis peccatorum.
Propter (versus).
Elegit suspendium anima mea
et mortem ossa mea.
Omnia arbitratus sum ut stercora,
ut Christum lucrifacerem.
Quem vidi.

LVI.

Ad quem respiciam,
Nisi ad pauperculum et contritum [spiritu
Et trementem sermones meos?
Dicit amator humilium.
Ecce pauper Filius hominis non habet hic,
ad quem caput suum reclinet.
Nisi.

Super quem requiescet spiritus meus,
nisi super humilem et quietum?
Et trementem.
Audiat id miser superbus et verecundetur,
mansuetus et mitis laetetur,
sed praecipue pauper glorietur.
Dicit.

Eia nunc scio vere
nil ita Deo placere
sicut sedendo tacere
et cum pauperrimo Iesu nudum latere.
Dicit.

Ecce nunc pauper regno
tripudians in nihilo,
etsi proprium nil habeo,
dives in paupere Iesu semper abundo.
Dicit.

O quis valet dicere,
quam beate sit vivere
nil habere, nil appetere
et tamen omnibus bonis super affluere?
Dicit.

LVII.

Gaude, gaude, o turtur unice,
qui latendo gemis solitarie
et levando te super te
terram cernis de longe.

Gaude, qui sensibus claudens ostium
intimius intrasti cubiculum,
Vt decorem et solium
speculeris luminum.

Gaude bassum servans omnium,
gaude nil volens proprium,
gaude, qui bonum optimum
solum amas propter se ipsum.
Gaude.

O quam felici commercio
pro humano solacio
divino et angelico
tu frueris spectaculo.
Gaude.

Nec mirum sit alicui,
si secretum meum mihi
ingeminat ipse sibi
qui de se sentit id dici.
Gaude.

Et unde tibi tantum gloriae,
O putride vermicule,
in huius mundi carcere,
ubi nihil nisi tenebrae?
Vt decorem.

Tu si cupis id experiri
et castus turtur fieri,
esto fugax solacii
cuiuscumque creati.
Vt decorem.

O quam bonum tibi manere
cum Petro, Iacobo et Iohanne
in montis Thabor vertice
revelata Iesu facie.
Vt decorem.

LVIII.

ADHORTATVR IESVS PVSILLANIMEM ATQVE PIE CONFORTAT.

Fili mi dilecte,
antequam plasmavi te,
Ego novi te
et in manibus meis descripsi te.

Tu semper mecum es,
et omnia mea tua sunt (versus).
Nunc si gloriari voluero,
vere non erro nec desipio,
quia ut audio ego nihil,
non nihil sum Altissimo.
Ego (versus).

DILECTVS AD IESVM.

O ingens stupor, o gaudium,
quod me vilem pulviculum,
qui nihil fui et nihil sum,
sic amas, Pater, et adoptas in filium.
Ego (versus).

DILECTVS AD IESVM.

Et ego quidquid sum,
quidquid habeo,
quidquid possum,
tibi retribuo,
si non satis est
quidquid est,
quidquid vivit,
quidquid intellegit,
superadicio.
Tu semper mecum.

LIX.

Electe mi vermicule,
In caritate perpetua dilexi te.
Tu enim vivis in me,
et ego in te.

Mane in me
et fruere me (versus).

O mira dignitas vilis homunculi,
o stupenda benignitas Altissimi,
qui tam indignum dignatur sic pie affici.
In caritate (versus).

Et unde hoc mihi vili pulviculo,
pauperi vermiculo,
creaturarum minimo,
ut sic dilectus uniri merear Altisssimo?
Tu enim (versus).

Si totus sum tuus, dilectissime,
et omnia mea a te et in te,
sicut tu vis, sic semper fiat de me.
Mane.

LX.

Omi dilecte,
ne elonges te a me,
qui ad fruendum me
tantum creavi te.
Convertere in te
et ascende in me,
ut valeas et me
cognoscere ex te.
Quia ego in te,
et tu vivis in me.
Dilige me me,
qui ab aeterno dilexi te (versus).

Eia benedictus sis, dilectissime,
qui me pulviculum invitas in te,
ut solum fruar te
et excedam me,
o quam felix,
qui sic monentem audit te.
Convertere.

Tu scis, dulcissime,
quia amo te
in omnibus,
prae omnibus
et super me,
eia tu supple pro me,
quidquid minus amo te.
Quia.

Mi dilectissime,
quidquid tu vis fac de me,
o si valerem perficere,
supra modum vellem te diligere.
Dilige.

LXI.

IESVS EIA QVAM DVLCIS QVAM SVAVIS AMOR EST EIVS.

Eia amo te, Deus meus,
et si parum est,
amem te validius.
Tuo amore teneor,
tuo desiderio flagro,
tua dulci memoria delector.

Me tibi commendo, reddo et concedo,
Per quem sum, vivo et sapio.

VERSVS. DILECTVS AD IESVM.

Tibi dixit cor meum,
exquisivit te facies mea,
et quia faciem tuam, Domine, requiram.
Tuo.

VERSVS. DILECTVS AD IESVM.

Repleatur os meum laude tua,
ut cantem tota die gloriam tuam.
Me tibi.

VERSVS. DILECTVS AD IESVM.

Requiescat in te anima mea,
contempletur te in mentis excessu
et cantet laudes tuas in iubilatione.
Per quem.

APOSTOLVS. NOTA.

Nil nos delectet in imis,
qui patrem habemus in caelis.
Tuo amore (ut supra).

LXII.

Renuit consolari anima mea,
memor fui Dei mei et delectatus sum,
Qui est aeterna mea vita et summa gloria,
pax, virtus, sapientia,
veritas, pulchra aequitas,

caritas,
et omnis boni plena satietas.
Glorientur insensati, ut voluerint, his [sensibilibus,
pharisaei suis signis et caerimonialibus,
hypocritae et scribae suis vanis honoribus,
mihi autem pauper Iesus
placet prae his omnibus.
Qui est.

Vere magna vanitas, nimia insania
vane affici ad caduca haec visibilia,
cum excellens veri gaudii copia
sit in Dei mei dulcissima memoria.
Qui est (versus).

O si sola Dei mei memoria
in sui absentia
cuncta superat mundi delectabilia,
gaudiorum quanta abundantia
erit mihi in eius fruibili praesentia.
Qui est (versus).

Gaudebo tripudians laetitia inenarrabili
et inebriabor dulcedine mirabili,
cum conformis apparuero vultui
Creatoris mei desiderabili.
Qui est.

LXIII.

Haec est praeclarum vas paracliti [Spiritus sancti.
Haec est gloriosa civitas Dei.

Haec est mulier virtutum,
quae contrivit caput serpentis.
Haec est sole speciosior,
luna pulchrior,
aurora rutilantior,
stellis praeclarior.
Hanc peccatores devote adeamus,
rea pectora tundamus
dicentes. Sancta, Sancta, Sancta Maria,
clemens et pia domina nostra,
fac nos tuis precibus consortes caelestis
gloriae.

LXIIII.

DE NATIVITATE DOMINI.

Dies est laetitiae
in ortu regali,
nam processit hodie
ventre virginali
puer admirabilis,
vultu delectabilis
in humanitate,
qui est ineffabilis
et inaestimabilis
in divinitate.

Mater haec est filia,
pater hic est natus,
quis audivit talia?
Deus homo natus

servus est et dominus,
qui ubique comminus
nequit apprehendi,
praesens est et eminus,
stupor iste geminus,
nescit comprehendi.

Orto Dei filio
virgine de pura,
ut rosa de lilio,
stupescit natura,
quod parit iuvencula
natum ante saecula
creatorem rerum,
quod uber munditiae
lac dat pueritiae
antiquo dierum.

In obscuro nascitur
illustrator solis,
stabulo reponitur
princeps terrae molis,
fasciatur dextera,
qui affixit sidera,
dum caelo descendit,
concrepat vagitibus,
qui tonat in nubibus
dum caelos ascendit.

Vt vitrum non laeditur
sole penetrante,
sic illaesa creditur
virgo post et ante,

felix est puerpera,
cuius sacra viscera
Deum portaverunt,
et beata ubera
in aetate tenera
Christum lactaverunt.

Angelus pastoribus
iuxta suum gregem
nocte vigilantibus
natum caeli regem
nuntiat cum gaudio,
iacentem praesepio
infantem pannosum,
angelorum dominum
et prae natis hominum
forma speciosum.
Amen.

LXV.

Maiestas deica,
quantum inclinaris,
cum Deus ex femina
oriri dignaris.

Numquid in palatio
rex caeli laetaris?
non, sed in praesepio
brevi reclinaris. CVM DEVS.

Iesu, qui angelico
coetu veneraris,

vestibus purpureis
natus non ornaris. O MAIESTAS.

Sed in satis vilibus
pannis alligaris,
sicque mundi gloriam
pauper detestaris. CVM DEVS.

Natis regum principes
solent congaudere,
et altrices nobiles
ubera praebere. O MAIESTAS.

At haec Dei filius
renuit habere
malens se pastoribus
natum exhibere. CVM DEVS.

O felix puerpera,
sola gaudens paris,
eia quam et dulciter
nato iucundaris. O MAIESTAS.

Quam piis amplexibus
Iesum amplexaris,
quam gratis obsequiis
ipsi famularis. CVM DEVS.

Quam potens benignitas,
quam potestas pia,
caelo, terrae praeminens
nascitur in via. O MAIESTAS.

Cui dant obsequia
Ioseph et Maria,

hunc canens angelica
laudat harmonia. CVM DEVS.

Dulcis oris iubilus
nato corde toto,
benedicamus Domino
tonet cum devoto. O MAIESTAS.

LXVI.

Vre plaudant omnia,
caelica, terrestria,
quia reddit gaudia
laetitiae
Iesus Christus nobis natus hodie.

Ex Maria genitus
ope sancti Spiritus
risu mutans gemitus
tristitiae
Iesus Christus nobis natus hodie.

O felix puerpera,
cuius suxit ubera
mira monstrans opera
clementiae
Iesus Christus nobis natus hodie.

Pietate solita
solvit Adae debita
in hac valle subdita
miseriae
Iesus Christus nobis natus hodie.

Iesu Christo Domino
dicamus cum iubilo

gratias angelico
cotidie,
Iesus Christus nobis natus hodie.

LXVII.

TOtus mundus
sit iucundus
cum solacio,
puro corde,
sine sorde,
sine vitio,
hac qua Dominus die
natus est de virgine.

In Mariae
matris piae
puerperio
plebs laetetur,
atque detur
laudum actio
quolibet ab homine
cum toto conamine.

Homo gaude
fervens laude
cum tripudio,
da gaudentis
vota mentis
Dei filio,
nam suo iuvamine
lotus es a crimine.

Sit felici
genetrici
iubilatio,
orbis huius
auctor, cuius
iacet gremio
natus sacro Flamine
absque viri semine.

LXVIII.

HAec festa natalia
recolit ecclesia,
virgo parit filium,
salvatorem omnium,
qui non animalium
abhorret praesepia.

Angelus haec loquitur,
pastoribus dicitur,
de virgine nascitur
rex gubernans omnia.
Qui non animalium
abhorret praesepia.

Vili panno tegitur
orbis a quo regitur,
legi cuius subditur
caelestis harmonia. Qui non a.

Lege circumciditur,
nomen ei ponitur
Iesus, quo salvabitur
credulus per saecula. Qui non a.

Stellam magi viderant,
rege nato properant
reverti promiserant
in Herodis curia. Qui non.

Invenitur, quem quaerunt,
aurum, tus, murram ferunt,
ista nato offerunt
mystica signantia. Qui non.

Angelo praemoniti,
spreti regis invidi,
semitam per alibi
redeunt ad propria. Qui non a.

Baptizari voluit,
Pneuma sanctum affuit,
vox Patris intonuit
huic testimonia. Qui non.

Nuptiis interfuit,
aqua vinum profluit,
sic eius innotuit
et omnipotentia. Qui non animalium.

Hinc ad templum geritur,
Simeoni sistitur,
in cuius suscipitur
ulnis cum laetitia. Qui non.

Duodennis perditur,
in templo congreditur
doctis, et convincitur
eorum ignavia. Qui non.

Hoc sacro sollemnio,
vocibus et organo
iubilemus gaudio
angelorum Domino. Amen. Q(ui non).

LXIX.

Noel, Noel triplicando,
Noel iterando,
Noel, ah Noel psallite. Versus.

Nova vobis gaudia refero,
natus est rex virginis utero,
in puero mira considero,
numquam de cetero
fient haec, psallite. Noel *(ut supra)*.

Nunc hominum genus redimitur,
daemonium in antro clauditur,
ex virgine Rex mundi nascitur,
pax vobis oritur,
redempti psallite. Noel *(ut supra)*.

Peccatores iniqui pereunt,
pastores ad Bethlehem transeunt,
hunc adeunt miraque prodeunt,
gaudentes redeunt,
ergo vos psallite. Noel *(ut supra)*.

O gens felix iugo liberata,
Regem natum placa mente grata,
simulata vocis non sint fata,
sed vera firmata,
redempti psallite. Noel *(ut supra)*.

LXX.

VNiversalis ecclesia
congaudeat his temporibus
cum angelis sic canentibus.
Eia, eia,
eia, eia,
alleluia,
Deo in excelsis gloria,
et in terra pax hominibus,
sus valasus, valasus
vala susin o risus,
vala susin sussin
sussin sussin o risus,
requiescat iste parvulus.
Auscultate nova gaudia,
dicit angelus pastoribus
super gregem vigilantibus.
Eia — parvulus *(ut supra, et sic post quamque stropham).*
Qui delebit mundi vitia,
est in Bethlehem infantulus,
Dei Patris Vnigenitus.
Iacet hic cum matre Maria
solus in praesepe positus,
pannis involutus vilibus.
Sed Ioseph et animalia
bina quae sunt, bos et asinus,
serviunt ei in genibus.

Haec invenietis omnia,
properate vestris gressibus
devotis laudando mentibus.
Contra iura naturalia
oritur salus credentibus
cunctis physicis stupentibus.
O magna Dei clementia,
quod Rex regum potentissimus
nasci dignatur ut servulus.
Inde benedicta, domina,
semper es in mulieribus,
praebe veniam poscentibus.
Natus tuus, caeli regina,
donet nobis suis servulis
conregnare sanctis omnibus.

LXXI.

Dic nobis, per quam regulam
Verbum humanam formulam
sumpsit in unionem.
Iubet Plato quiescere,
sed Gabriel discutere
scit istam quaestionem.
Supremi declinatio,
virtutis obumbratio
emisit genetivum
In virginem amabilem,
quam praeelegit humilem
Stygis ininfectivum.

LXXII.

AMoris domicilium,
virginitatis lilium,
refulsit Costi filia.
Cantemus cum tripudio.
Katherinae laus et gloria.

LXXIII.

SAlve virgo speciosa,
celsi sponsa Domini,
laude digna et famosa,
cuncto cara homini
propter florem castitatis,
qua vicisti potestatis
ardorem in turpibus.
REPETITIO. Fac nos dulce concrepare
tibi melos et calcare
libidinis incendia.

Cosmi pompam despexisti
suis cum deliciis,
Regi regum adhaesisti
altis desideriis,
unde secum nunc laetari
meruisti et ornari
optimis monilibus.
[Fac — incendia, *ut supra.*]

Micans gemmis imitaris
Agnum sine macula,

ut amore perfruaris,
quem quondam iuvencula
in te gestans praelibabas,
sed non plene degustabas
gravi pressa tegmine.
[Fac — incendia, *ut supra.*]

Cuius gaudens refoveris
cupitis amplexibus,
choros ducis et moveris
cum sacris virginibus
post dilectum cursitando,
mira vocum modulando
cantica dulcedine.
REPETITIO. [Fac — incendia, *ut supra.*]

LXXIIII.

DE SANCTA BARBARA.

CHristi virgo generosa,
Barbara, solacia
posce nobis gratiosa
et caeli palatia.

LXXV.

IESVS DILECTVM SIBI HVMILIATVM DEIECTVMQVE ANIMAT.

FIli mi dilecte, in tribulatione tua et vilitate propter me noli deficere, quia ad quae Pater meus misit me, misi te.

Memor esto obprobrii mei, paupertatis et fellis, ut tu regnares in caelis.
Ictum unum formidare non debes pro me, qui corpus totum percutientibus et vellentibus prius dedi pro te.

IESVS DILECTO. VERSVS.

Attolle iam cordis lumina
et defige oculos tuos in mea vulnera
et vide, si est dolor similis dolori meo.
Memor.

DILECTVS.

En ego prostratus pietati tuae, bone Iesu, gratias ex animis ago, qui me ut pater unicum tractasti atque amasti dulcissime.
Ictum. VERSVS.

DILECTVS.

In manus tuas, Iesu bone, qui me amasti ita, totum resigno, omnia propter tuum nomen, dulcis Iesu, subire paratus dura et aspera.
Fili mi.

LXXVI.

QVOD IESVS SOLITVDINIS ET QVIETIS AMATOR EST.

Anima mea dilecta Deo, usquequo foras errabunda defluis, quaere illum, in quo sunt omnia, ecce intra cubí-

culum tuum latet solitudinis amator, sede, vide, tace et adventum dilecti tui praestolare.

Vox dilecti.

Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum et cenabo cum illo, et ipse mecum. Hic est Iesus, dulcis et gloriosus, sponsus tuus et amator, rex caelestis, qui te ita et ita dilexit. versus.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est, quaesivi Iesum et inveni, expectavi et respondit mihi. Si quis. versus.

Quapropter elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea, omnia propter Iesum arbitratus ut stercora. Hic. versus.

Eia ergo ad te nunc dilectus advenio, bone Iesu, ad cenam tuam invitatus gratias ago sciens, quod super omnia te sitiebam, tuo suavi amore totus nunc fragrans et ardens. Amen. O a(nima).

LXXVII.

PRO AFFECTV VNIONIS AD DEVM.

Amor aeterne, accende me, accendendo uni me,
unitum rape in te,
raptumque in te
transforma me,

ut transformatus te in te
me et omnia in te
teque in omnibus et in me
beatissime comprehendam per te.

LXXVIII.

AVe, caelestis regina,
maiestas quam divina
honestavit trina
mirifice.

Angelorum Rex sanctorum
tuorum virtute morum
provocatus vulneratus
venit in te.

Tu laus patrum prophetarum,
tu multarum scripturarum
glosa fulgens, corda mulcens
dulcedine.

Clausam portam non apertam,
permeatam, sed seratam
te descripsit, sicut vidit
Ezechiel.

Rubus ardens non crematus,
a vidente perscrutatus,
parituram castam, puram
te cecinit.

Arens virga novo flore,
madens vellus caeli rore

Gedeonis miro more
te respicit.

Per te, Esther, Mardochaeum
salvat iustum rex Iudaeum
et suspendit Aman reum
pro scelere.

Elationem Holofernis
per pugionem Iudith prosternis
molientem Iuda gentem
disperdere.

Summi regis coronata
mater, clemens, dulcis, grata,
esto nobis advocata,
virgo pia.

Benedicamus in laude Iesu,
qui suae matri Mariae
benedixit in aeternum,
Domino.

LXXIX.

AD IESVM E[T MARIAM ET ANGELOS].

RVbens rosa, Iesu pie,
fili Patris et Marie,
sacratissimae
semper virginis,
qui pro nobis fundis
rivos sanguinis.
Qui pro nobis *[rel., repetitur]*.

Nos a culpa serva puros,
actus fac servare duros
paenitentiae
condignissimae,
ne nos turpet naevus
inconstantiae.
(ne nos — inconstantiae. *ut supra.*)

Consolationis rorem
dona nobis et amorem
atque saporem
tui nominis,
iubar fac sentire
tui luminis.
(iubar — luminis. *ut supra.*)

Hostis noster versipellis
non nos vincat suis bellis
seu nequitiis
aut versutiis,
per quas suis tradat
nos suppliciis.
(per — suppliciis. *ut supra.*)

O Maria, rubens rosa,
dulcis nimis et formosa
peccatoribus
tuis famulis
precibus succurre
nobis sedulis.
(precibus — sedulis. *ut supra.*)

Carnem, mundum zabulumque
subde, ne vincant quoscumque

tibi supplices
tuos famulos,
qui tres patiuntur
istos aemulos.
(qui — aemulos. *ut supra.*)

Chori simul angelorum
nec non tota beatorum
caeli curia
atque patria
adiuvent nos secum
frui gloria. Amen.
(adiuvent — gloria. *ut supra.*)

LXXX.
QVALITER SPONSA SPONSVM QVAERIT EX QVINTO CANTICORVM.

QVm sponsa sponsum quaeritat
percussa vulnere
amoris, alte clamitat
timens deficere,
adiuro vos, o filiae
Ierusalem praecarae,
sponso dilecto nimie
velitis nuntiare,
quod zelo langueo.

REPETITIO.

Respondent simul natae,
dic nobis, petimus,

de sponsi qualitate,
et tecum quaerimus
affectu igneo.

TEXTVS. Fert sponsa, sponsus candidus
extat et rubeus,
ex mille solus splendidus,
vertexque aureus.

ALLEGATIO. Nam Dei hic est Filius
carens naevo peccati
sed passione rubeus,
uramur ne damnati
igne tartareo.
Respondent simul etc. *(ut supra.)*

TEXTVS. Corvinis nigret crinibus
ut palmae foliis,
columbae sed luminibus
ornatur lacteis,
fluenta iuxta maxima.

MORALITAS. Nam humilis pacator
ut palma floret optima,
et simplex praedicator
nitet coram eo.
Respondent etc. *(ut supra.)*

TEXTVS. Dilectus, quem sic quaerito,
talis est, filiae,
hunc ipsum amo merito
in tali specie.
Euge hic est carissimus,
vere meus amicus.

MORALITAS. Non quaerens hunc stultissimus reus supplicio.
est totus et iniquus,
Respondent. *(ut supra.)*

LXXXI.

DE QVIETE SPONSAE SVB PROTECTIONE SPONSI. EX SECVNDO CANTICORVM.

CVr livet hostis impius,
quod sponsus amat sponsam?
in vini cellam castius
induxit hanc absconsam.
Sub umbra sponsi sedula
secure requiescit,
nec gravia pericula
haec hostis pertimescit.
Et caritatem ordinat
in sponsa sponsus veram
quam duplicem determinat
semper servare meram.
Vult ergo sponsa floribus
et malis constipari,
robustis et debilibus
desiderans ornari.
Ergo tabesce, invide
hostis, nil curat sponsa,
sub umbra sponsi placide
quiescit iam absconsa.

LXXXII.

DE RESVRRECTIONE DOMINI.

Dies est laetitiae
in aula regali,
nam surrexit hodie
limbo infernali.
Christus fracto barathro,
mortis principe capto
suos inde traxit
cum quibus repatriat
angelis et sociat
in aevumque beat.

Surgens prima sabbati
Mariae apparet
Mariaeque Iacobi
Salomae ac natae
Iesum aromatibus
ungere quaerentibus
occurrit, avete,
ite, ferte fratribus,
Galilaeam properent
ibi meque cernent.

Petrus hoc ut audiit,
concite cucurrit,
monumentum adiit,
vacuum invenit
sublatumque credidit,
statim quare rediit,

cui sic occurrit
Christus ac delinivit,
nutantem confortavit,
reatum dimisit.

Hinc te per sanctam tuam
resurrectionem,
Iesu pie, precamur,
quos, sicut amasti,
peccatis exoneres
tuisque annumeres
in caelesti throno,
ut laudemque gloriam
personemus iugiter
sanctae Trinitati.

Gloria tibi, Christe,
mortem qui vicisti,
qui tuae genetrici
ita condolenti
primum apparuisti,
dehinc et apostolis,
quibus praecepisti
praedicare gentibus
vere te surrexisse
semperque regnare.

LXXXIII.

Regina caeli laetare.

In te stupet ratio,
virgo fecundata,

per quam Adae natio
fit conciliata,
divino consilio
es sanctificata,
Gabriele nuntio
mater deputata.
Resurrexit *[sicut dixit, alleluia.]* versus.

Alvo viri nescia
mater gravidata,
omni pulso vitio
puritate grata,
in caeli palatio
mire exaltata,
in quietis gremio
loca nos beata.
Ora *[pro nobis Deum.]* versus.

Per te laudans contio,
fulgens stella maris,
careat supplicio,
tu splendor solaris,
tuo iunge filio,
qui est expers paris,
pascha, pax, reflectio
nostra salutaris.
Alleluia. versus.

LXXXIIII.

AVe, mundi domina,
sola carens pari,
per te nobis Dominum

petimus placari,
qui pro nobis voluit
in te incarnari
et in crucis stipite
dire vulnerari.

Ave plena gratia,
rectrix angelorum,
consolatrix omnium
et spes miserorum,
nimis exaltata es
in regno caelorum,
dele nostras, quaesumus,
sordes peccatorum.

Ave Iesu genetrix,
tota speciosa,
virgo prudens humilis
atque virtuosa,
inter Sion filias
es deliciosa,
transfer nos ad gaudia
caeli gloriosa. Amen.

LXXXV.

Quam pulchra es. VERSVS.

Salve virgo, spes reorum,
mater Regis aeternorum,
solve vincla peccatorum
tua prece domina.
Caput *[tuum ut Carmelus,..]*. VERSVS.

Salve virgo, nec morare,
surge portas reserare,
iube tecum nos intrare
in caelesti gloria.
Veni *[dilecte mi ..]*. VERSVS.

Salve virgo, Deo grata,
nostra tu sis advocata,
stella maris appellata,
ducens ad caelestia.
Ibi *[dabo tibi ubera mea]*.

LXXXVI.
ANTIPHONA.

Ave regina caelorum. VERSVS.

Gloriosa, tu quae tegis
mundi criminosa,
tu maestorum melos gregis,
tu textus et glosa,
pauperi tu liber legis,
tu rosa et prosa,
cum sis mater summi Regis,
gaude gloriosa.
Super *[omnes speciosa]*. VERSVS.

Speciosa porta spei
redolens ut rosa,
Phoenix, virginum flos, rei
pax post procellosa,
tu proscriptis iubilei
lex es gratiosa,

super creaturas Dei
omnes speciosa.
Vale *[o valde decora]*. VERSVS.
Decora lux, virginale
decus ut aurora,
templum scandens aeternale,
pro nobis nunc ora,
ne quid ferat criminale
taetrum mortis hora,
et sic sine fine vale,
tu valde decora.
Et *[pro nobis Christum exora]*.

LXXXVII.

Tota pulchra es amica mea. VERSVS.

quam pulchra puella parvula,
quam suavis, quam sine macula,
et quam potens regina in saecula,
tua nobis satis probant miracula.
Iam *[enim hiems transiit]*. VERSVS.
Tu fuisti vellus in area,
arca legis, turris eburnea,
tu sis nobis salutis galea,
granum purum, excussum a palea.
Et *[veni]*. VERSVS.
Sed tu David proles dignissima,
mulierum virgo pulcherrima,
urbs regalis, turris fortissima,
defende nos a morte pessima.
Surge, propera *[amica mea]*. VERSVS.

LXXXVIII.

VIrga Iesse fecunda, florida,
lampas caeli pie cunctis fulgida,
corda nostra in bono tepida
fac ut fiant in Deo fervida. VERSVS.

Tu, beata, fuisti lilium
inter spinas et flos convallium,
tu es portus portans suffragium,
tu es reis semper remedium. VERSVS.

Nunc igitur, mater, accelera,
pietatis ostende viscera,
nato pectus offer et ubera
et nobis miseris veniam impetra.

LXXXIX.

VIdi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, cuius inaestimabilis odor erat nimis in vestimentis eius.

Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum.

Et lilia convallium. VERSVS.

Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus murrae et turis?

Et. VERSVS.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Et.

XC.

IN dulci iubilo
cantate Domino
nostri cordis gaudium
in praesepio
Et fulget ut lux solis
in matris gremio.
Ergo merito,
ergo merito
iubilizat cor omne
mentis tripudio.

O Iesu parvule,
langueo post te,
laetum fac cor meum,
tu puer optime.
Et tuum fer auxilium,
tu puer inclite.
Trahe me post te,
trahe me post te
ad regnum Patris tui,
tu princeps gloriae.

Vbi sunt gaudia
plena gloria?
ibi canunt angeli
nova cantica.
Nam sonat vox laetitiae
In Regis curia.
Eia qualia,
eia qualia

beatam mentem satiant
Christi praesentia.

Maria, nostra spes,
da, virgo nobilis,
ne nos repellat fragiles
tua progenies.
Nostra dele peccamina,
laudanda species.
Vitam nobis des,
vitam nobis des,
et nostra sit hereditas
aeterna requies.

XCI.

CARMEN.

Mater sancta, dulcis Anna,
sis nostra advocata,
in hac vita miserrima
a nobis implorata.
Iesu tu fac nos servire
in cordis puritate
ac vera caritate,
nostram culpam tu fac nullam,
nam tu vere satis pie
noveris subvenire
miseriae multae nostrae,
ne sinas nos perire. VERSVS.

Tu Mariam, maris stellam,
miseris edidisti,

puerperam Christi cellam
sancte peperisti,
ipsi tu nos miseros
sub alis commendare
suis ut velit dare
per merita sua clara,
ut nos pio dulci Iesu
servire mereamur,
ut post mortem terribilem
ad ipsum reducamur. VERSVS.

Iesu bone, dulcissime,
per merita beata
matris Annae ac Mariae,
quae sunt tibi grata,
fac nos tuae sanctissimae
matris matri servire,
per ipsam fac redire
nos ad te, ut nec longe
per peccata gravissima
a te digrediamur,
per Mariae matrem pie
sed ad te reducamur.

XCII.

STetit Iesus coram Pilato praeside
inclinato capite,
defixis in terram oculis,
placido vultu,
paucis verbis,

submissa voce,
paratus ad obprobria,
promptus ad verbera.

XCIII.

HYMNVS DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

TOta vita Iesu Christi
crux fuit et martyrium,
hunc sequi suum servulum
decet per iter asperum.

Memor ero, quamdiu sum,
laborum atque dolorum,
quos Iesus meus Dominus
gessit in carne positus.

Passio tua, Domine,
facta est amara valde,
o quantum me dilexisti,
cum pro me mortem subisti.

Semper crux, clavi, lancea,
fel, arundo, cum spongia,
sputa, corona spinea
et dira tua vulnera

Cordi meo sint infixa
et in memoria scripta,
nam sunt amoris stigmata
sponsique murra electa.

Serve meus, me respice,
quot sumpsi vulnera pro te,
stude vicem rependere,
quamvis impari pondere.

Prospera mundi despice,
adversa libens suscipe,
mecum in cruce morere,
ut mihi queas vivere.

O Iesu, splendor gloriae
et spes futurae patriae,
quanto pro me es vilior,
tanto mihi es carior.

Pudeat nunc sub capite
spinato membrum gaudere,
cum et amara bibere
voluit Conditor vitae.

Sit honor, laus, devotio
Iesu, Mariae Filio,
tenso crucis patibulo
pro redimendo populo. Amen.

XCIIII.

QVINQVE GAVDIA BEATAE AGNETIS VIRGINIS.

GAude, Agnes, virgo Christi,
quae in mundo dum fuisti,
Iesum dilexisti.

Gaude, Agnes, virgo mitis,
quae moribus redimitis,
Deo placuisti.

Gaude, Agnes, gemma castitatis,
quae candorem tuae puritatis
numquam amisisti.

Gaude, Agnes pulchra facie,
quae a nulla mundi specie
vinci potuisti.

Gaude, Agnes, rosa speciosa,
quae accepta morte pretiosa
caelos conscendisti. VERSVS.

XCV.

HYMNVS DE SANCTA AGNETE VIRGINE.

Agnetis, Christi virginis,
et pretiosae martyris,
memoriam sollemniter
agamus unanimiter.

In annis puerilibus
spretis mundi blanditiis
Filio matris virginis
Castis adhaesit mentibus.

Quem, dum in terris viveret,
sponsum habere voluit,
quam vere hunc diligeret,
sanguine fuso prodidit.

Quo rubente angelicis
suscipitur in manibus
ac fertur in cubiculum
virginibus pollicitum.

Ibi gaudet in candida
agnum subsequendo stola
atque canit in cithara
de hostium victoria.

Cuius prece sanctissima
da veniam cum gratia,
Christe, sanctorum gloria,
Per infinita saecula. Amen.

XCVI.

HYMNVS DE SANCTA CAECILIA VIRGINE.

En virginis Caeciliae
fulget vita clarissima,
quam sponsus pudicitiae
elegit ab infantia.

Quae Christi evangelium
abscondebat in pectore,
ut Iesum nitens lilium
casto servaret corpore.

Hinc amor et devotio
fervebant cum colloquio,
hinc diebus ac noctibus
sacris intendit fructibus.

Nam duos fratres nobiles
Christi effecit milites,
quos per eius vestigium
hortatur ad martyrium.

Haec cernens tunc episcopus
Vrbanus, vir angelicus,
resolvitur in lacrimis
de fructu tantae virginis.

Domine Iesu suscipe
de manibus Caeciliae
fructus casti consilii
sicut odorem balsami.

O beata Caecilia,
devota Christi famula,
per tua sacra merita
nos Deo reconcilia.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio,
cum Spiritu paraclito,
et nunc et sine termino. Amen.

XCVII.

CANTICVM DE LAVDIBVS SANCTARVM VIRGINVM.

AMa Iesum cum Agnete,
Magdalenam lauda laete
in hymnis et canticis,
Agatham sanctam venerare,

Luciam passam imitare,
quantum digne sufficis.

Barbaram ora cum Balbina,
Caeciliam roga cum Christina
totis ex praecordiis,
Catharinam cum Sabina,
Margaretam cum Martina
lauda magnis gaudiis.

Iulianam cum Iustina,
Cuneram cum Euphrosyna
iubila in organis,
Dorotheam cum Eugenia,
Petronillam cum Euphemia
honora cum tympanis.

Sophiam cum Eulalia,
Gertrudem cum Pelagia
exalta laetis vocibus,
Priscam, Dariam cum Helena,
Apolloniam cum Serena
magnifica honoribus.

Scholasticam cum Susanna,
Theclam, Claram cum Iohanna
laetifica caeli praemiis,
Vrsulam cum sodalibus,
Cordulam cum aequalibus
adorna rosis et liliis.

Omnes sanctae virgines cum virginibus,
o sanctae viduae cum continentibus,
orate Deum pro nostris excessibus.

Sit laus Deo, honor et gloria
de virginum magna victoria
et dulcis hymnus sanctis eius omnibus.

Qui nos sua gratia
ad se ducat cum laetitia
sanctorum suorum meritis
post huius vitae pericula
in aeterna tabernacula
laxis peccatorum debitis.

Amen, Amen dicant omnia
caelestia et terrestria,
angeli cum hominibus
et creaturis omnibus.
Deo semper gratias.

XCVIII.

HYMNVS DE SANCTA TRINITATE.

Vera summa Trinitas,
aequalis una deitas,
tibi laus, tibi gloria,
honor, virtus, victoria.

Te invocamus mentibus,
te collaudamus vocibus,
te adoramus genibus,
te flagitamus manibus.

Tu nostra es felicitas,
lux, via, vita, veritas,

tu creator es omnium,
caelorum, terrae, marium.

Te iure laudant omnia,
caelestia, terrestria,
et infernorum condita
tibi non sunt abscondita.

Deo Patri sit gloria,
eiusque soli Filio,
cum Spiritu paraclito,
et nunc et sine termino. Amen.

XCIX.

HYMNVS DE SANCTO IOHANNE BAPTISTA.

Aude, mater ecclesia,
de praecursoris gloria,
hic est Iohannes Baptista
repletus Dei gratia.

Sanctus natus ex utero
exultavit in gaudio,
cum Redemptor virgineo
clausus adesset thalamo.

Annis adhuc sub teneris
cunctis relictis civibus
instinctu sancti Spiritus
fit eremita strenuus.

Pelle cameli tegitur,
locusta vili pascitur,

viam angustam graditur,
per quam caelum ascenditur.

Tantis fulgens virtutibus
Iohannes compar angelis
praedicavit in populis.
Ecce Agnus Dei Christus.

Ab eius sacris manibus
baptizatur Altissimus,
stupet Baptista humilis,
quia sic fecit Dominus.

Traditur tandem carceri
ardens lucerna fidei,
feritur amicus Sponsi
gladio regis impii.

Sed mox assistunt angeli
voce canentes parili,
huic debetur martyri
corona iure triplici.

Nam doctor fuit inclitus
et martyr invictissimus,
sed et virgo purissimus
Iohannes vir sanctissimus.

Deo Patri sit gloria,
eiusque soli Filio,
cum Spiritu paraclito,
et nunc et sine termino. Amen.

C.

HYMNVS DE SANCTO IOHANNE EVANGELISTA.

CHriste, sanctorum gloria
et piorum memoria,
nostris intende precibus,
quas pie tibi fundimus
in honore apostoli
Iohannis dilectissimi,
ut eius sacris meritis
caeli iungamur sedibus.

Qui amari prae ceteris
promeruit discipulis
ob castitatis titulum,
munus tibi gratissimum.

Ex tuo sacro pectore
hausit fluenta gratiae,
hinc filii ecclesiae
Verbi potantur nectare.

Hic etiam limpidius
prae cunctis et sublimius
vidit sacra mysteria
solis beatis pervia.

Flagrant eius epistulae
tui amoris adipe,
quo nos, Iesu, reficere
digneris omni tempore.

O Iohannes carissime,
exemplar pudicitiae,
divinae nos clementiae
custos commenda Mariae,

Vt post cursum huius vitae
gustemus de vera vite,
cuius fructus dulcissimus
sanctis offertur omnibus.

Gloria tibi, Domine,
qui natus es de virgine,
cum Patre et sancto Spiritu
in sempiterna saecula. Amen.

CI.

HYMNVS AD SANCTAM AGNETEM.

Ave, florens rosa,
Agnes generosa,
virgo speciosa,
martyr pretiosa.

Sumens mel suave
ore Iesu, ave,
casta sponsa Christi,
mundum contempsisti.

Solve pravitates,
fuga vanitates,
preme adversantes,
iuva dimicantes.

Monstra te benignam,
omni laude dignam,

Iesum ut amemus
semper et laudemus.

Virgo singularis,
recte praedicaris,
Agnum imitaris,
Agna nominaris.

Vitam praesta puram,
viam plana duram,
ut intremus caelum,
carnis aufer velum.

Audi nos, Maria,
consolatrix pia,
veni cum Agnete,
visita nos laete.

Salva nos, salvator
mundi et creator,
Iesu, vitae dator,
virginum amator.

Sit laus Deo Patri,
Christo eius Nato,
Almo Paraclito,
Vni vero Deo. Amen.

CII.

NOMEN SANCTAE AGNETIS.

Amatrix devotorum in castitate,
Gubernatrix viatorum in tempe- Semper Agnes
Nutrix infirmorum in caritate, [state, Agnum sequend

Effugatrix vitiorum in pravitate,
Suscitatrix tepidorum de tarditate,
Angelorum Gloria, Nobis Exemplum
Sanctitatis.

CIII.

DE NOMINE CAECILIAE.

Consolatrix infirmorum compassione,
Electrix supernorum contemplatione,
Confortatrix Christianorum praedicatione,
Imitatrix beatorum sacra passione,
Liberatrix perditorum devota oratione,
Inventrix liliorum casta conversatione,
Associatrix angelorum caelesti revelatione.

CIIII.

COLLECTA.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui beatae Caeciliae virginis et martyris tuae merita praeclara recolimus, in unigeniti Filii tui amore semper crescamus, cuius vitam et mores in suo pectore haec gloriosa virgo portavit. Qui tecum vivit, etc.

CV.

DE NOMINE SANCTAE CLARAE, QVAE FVIT VIRGO ET SANCTIMONIALIS PRIMA ORDINIS FRATRVM MINORVM.

ongregatrix virginum,
Levatrix debilium,
Acceptatrix humilium,
Refocillatrix pauperum,
Amatrix Christi vulnerum.

CVI.

ALIVD.

astitatis Lilium Amabat
Redemptoris Amore.

CVII.

ALIVD.

lara nomine,
Luxit opere,
Ardebat caritate,
Rutilabat sanctitate.
Accendebat virgines castitate.

CVIII.

HYMNVS DE IESV ET MARIA ET SANCTIS PATRONIS ECCLESIAE.

Iesu mi dulcissime,
spes et solamen animae,
da mihi te diligere
et extra te nil quaerere.

Maria, sis propitia,
Maria, dele vitia,
succurre nobis miseris,
defende nos ab inferis.

Agnes, virgo mitissima
et Christo dulcissima,
pro tuis ora servulis,
ut floreant virtutibus.

O Maria Magdalena,
audi vota, laude plena,
apud Christum locum istum
tuis commenda precibus.

O beata Caecilia,
devota Christi famula,
per tua sacra merita
Deo nos reconcilia.

Sancte pater Augustine,
lux doctorum, scriba vitae,
pro nobis ora iugiter,
ut vivamus concorditer.

O beate Hieronyme,
doctor orbis magnifice,
ad te clamantes respice
et ad superna erige.

Ambrosi, doctor nobilis,
vita, fama laudabilis,
sacris Christi sermonibus
nos instrue uberius.

O Gregori dulcissime,
dulci fulgens eloquio,
perduc nos recto tramite
perenni frui gaudio.

Bernarde, doctor inclite,
amator Iesu fervide,
devotos tuos refice
panis vitae dulcedine.

Antoni, Christi famule,
monachorum sanctissime,
a saevis nos daemonibus
custodi horis omnibus.

Francisce devotissime,
pauper atque humillime,
fac nos mundum contemnere
et crucem Christi tollere.

O beate Dominice,
praedicator egregie,
alumnos tuos instrue
disciplinate vivere.

O Radbode, Lebuine,
pulchrae rosae, gemmae binae,
orantibus subvenite,
portas caeli aperite.

O Benigne, Werenfride,
hostes nostros prosternite,
mala procul repellite,
aeterna bona poscite. Amen.

CIX.

HYMNVS IN TRANSFIGVRATIONE DOMINI.

Iesu, salvator saeculi,
redemptis ope subveni,
qui in corpore fragili
voluisti transformari.

Lex et prophetae primitus
praedixerunt divinitus
te in carne adventurum
et pro nobis moriturum.

Beatus venter virginis,
quae te fovit in gremio,
alens sacris uberibus
iacentem in praesepio.

Baptista, praeco nobilis
praedicavit in populis.
Ecce Agnus Dei, Christus
olim promissus patribus.

Quo agnito discipuli,
Petrus, Iacobus, Iohannes
relictis rebus saeculi
Iesum sequuntur alacres.

Post haec in montis vertice
orante Iesu intime
transfiguratur caelitus
vultus eius pulcherrimus.

Laus, honor, virtus, gloria etc.

CX.

HYMNVS DE EODEM FESTO.

Christe redemptor omnium,
vera salus credentium,
audi preces humilium
laudes tibi canentium.

Vergente mundi vespere
processisti de virgine,
ut radius de sidere,
verum lumen de lumine.

Et sursum Pater tonuit
eius te fore Filium,
hoc et Iohannes docuit
perhibens testimonium.

Infunde nunc piissime
donum caelestis gratiae,
ut caritate fervidi
simus et intus lucidi.

Largire tuis servulis
hunc diem venerantibus,
ut tua transformatio
gloriae sit adeptio.

Gloria tibi, Trinitas,
aequalis una Deitas,
quam laudat caeli curia
per infinita saecula. Amen.

EPISTVLA AD QVENDAM A MINISTERIO SVO ABSOLVTVM DE RECOMMENDATIONE SOLITUDINIS ET CVSTODIA SILENTII

[VVLGO: DE SOLITVDINE ET SILENTIO]

INCIPIT EPISTVLA AD QVENDAM A MINISTERIO SVO ABSOLVTVM DE RECOMMENDATIONE SOLITVDINIS ET CVSTODIA SILENTII.

DE RECOMMENDATIONE SOLITVDINIS.

CAPITVLVM PRIMVM.

QArissime cum esses in occupationibus externis et pro nomine Christi laborem subisses fraternum: brevi quadam admonitione sicut tunc poscebat rei utilitas te iuvare quasi spirituali manu volui; quoniam aliter non potui: ut dum illam aliquando attenderes rectius inter curas ambulares. Sed iam nunc cum solutus sis ab illo onere et restitutus pristinae quieti: etiam solacium fraternum tibi nolo subtrahere: sed modicum de amore cellae et silentii custodia quia sic ordo postulat vivendi dicam.

Consideratio divinae bonitatis.

DEbes in hac restitutione tua divinam super te bonitatem multiformiter attendere: et ei qualibet de causa factum sit multum regratiari. Aestimo quod pro tuo profectu erit quicquid expertus es in illo officio: quod ante nesciebas. Spero iterum quod non minus tibi prosperabitur ad bonum tuum: quoniam liberatus es et solutus atque tibi ipsi plenius redditus.

De humilitate nostra secundum ordinationem Dei.

IN omnibus denique temporalibus variationibus sive per nos sive per alios contingunt supernam ordinationem considerare debemus; et tali ordinatione nos humiliter Deo prosternere: atque petere ut ipse nobis donet quod saluti nostrae plus viderit prodesse. Sicut lutum in manu figuli: ita nos in manibus eius. Tantum dignetur nos facere vas in honorem: et non in contumeliam. Sive fecerit nos parvos et contemptibiles et extremos inter fratres nostros: non hoc multum curemus, dummodo aeque illi mereamur placere. Et utique credimus et confiteri debemus unum Deum Patrem nos omnes

habere: quotquot sive per gratiam sive per naturam existimus. Et ideo de inaequalitate meritorum et distributione officiorum nulli expedit iniuste cogitare adversus aliquem quantumlibet despectum et inferiorem ceteris hominibus in hoc mundo.

Ad propositum ergo rediens dico quod propter dimissam illius officii curam non es modo inferior aut inutilior ad pia opera facienda; de quo aliqua conscripsi tibi ut senseras tunc convenientia: sed forte modo talia non sapiunt, quia non conveniunt. Bene. Sed quid in futurum adhuc valeant nescis: cum possit res consimilis advenire. Sunt tamen ibi si advertis quaedam: quae quieti et proposito praesenti deserviunt.

Vtile est existenti in quiete ut recogitet de priori labore.

SI ergo ad memoriam tuam redeunt illa onera et occupationes lapsae, forsitan utiliter interdum possunt: tunc credo clarius senties quantum distat inter tunc et nunc. Videbis quoque quod tuae virtutis non fuerat, animum potuisse sub interiori custodia in occupationibus servare: quando et in quiete vix cohibere se praevalet humana infirmitas.

Pepercit igitur tibi Deus; et ideo gaude in adepta simplicitate: et converte sensum tuum liberius iam ad intellegentiam spiritualium rerum. Cito vilescet sapientia terrena: amanti caelestem sapientiam. Raro diu conveniunt frequens exteriorum occupatio: et divinorum secretorum notitia.

De amore ad solitudinem et secretum.

FVge dilecte mi ait sponsa: quia et sponsus Iesus legitur etiam declinasse a turba constituta in loco. Eris frequenter cum Iesu si amaveris secretum; et curaveris custodire paradisi locum: quem beatus Hieronymus cellam nominat dicens. Quamdiu non es in patria: cella sit paradisus tua. Inibi gaudebis in Domino: et confabulaberis ei, et ille respondebit tibi. Appropinquabit cordi tuo lux eius: et veritas manifestabitur tibi amplius. Sole orto et fervente multiplicabuntur radii illius: et Christo veniente illustrabitur interior domus tua. Emundaberis lumine novo: et in fulgore eius persultabunt omnia interiora tua. Et dices. Domine quis similis tibi? Quam verus sermo quem legi. In lumine tuo videbimus lumen. Et nunc Domine Deus illuminatio mea et salus mea, in lumine

tuo ambulabo: et in nomine tuo exultabo tota die, et in iustitia tua exaltabor; quia gloria virtutis meae tu es: et in beneplacito tuo voluntas mea stabit.

Non est omnium vacare.

CONsidera gratiam tibi desuper datam: et vivere secundum eam curato; quoniam non omnibus sic vacat solaciari cum Christo quemadmodum oblatum est tibi aptum et sufficiens tempus prae ceteris: tantum assit spiritus Iesu qui docet et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cum enim adest spiritus eius: non habes requirere praesentiam alicuius hominis ut consoleris. Quando autem abest: expecta eum quoniam veniet et non tardabit.

Contemptus consolationum extranearum.

HAvere tamen oportet ut deforis superflua solacia non petantur; sed vel interim silentio et luctui insistere: aut cum amico de neglegentia et angustia sua conferre. Et ista hominis consolatio satis utilis et necessaria tempore suo: quia non omnium est dicere cum apostolo,

quia non ab homine neque per hominem didici, sed per revelationem Iesu Christi. Qui humano solacio non eget: multum super hoc regratiari Deo potest.

Consolatio infirmorum.

ET qui adhuc carere non potest quid nisi Deum in servis suis humiliter audire debet; et non sicut ab homine, sed tamquam ab ore Dei prolatum sit consolationis verbum suscipere? Qui etiam per scripturas nobis adhuc tamquam parvulis loquitur: ut habeamus tamen aliquid unde consolemur.

Consolatio in scripturis divinis.

EST enim non parva consolatio qui nullam exteriorem habet: quod delectatur in scripturis divinis. Et cum legit evangelium aut prophetas; nonne videtur quodammodo colloquium celebrare cum Iesu et apostolis suis nec non cum prophetis antiquis? Et cum ceteros libros doctorum avidissime legit; quid nisi ex bona eorum societate a se omne mentis fastidium repellit? An non saepissime cum Augustinum vel Gregorium legis; tamquam praesentes eos intueris? Aut minori affectu eorum dicta complecteris

quia in carne non sunt: quam si viverent et ad te sua scripta direxissent?

Spiritualis dilectio ad sanctos.

POsset forte magis aliquid conferre tibi veneranda ipsorum praesentia; sed spiritualis homo hanc affectionem facile supergreditur cui in Deo omnes vivunt et praesentes sunt: qui et in hominibus sanctis non tantum corporalem aspectum quantum divinam in eis gratiam intuens: spiritualiter eos ubique diligit et veneratur. Nonne et praedictorum duorum patrum sententia meminit, quia ideo Christus Iesus suam nobis corporalem subtraxit praesentiam ut fide coleretur potius quam oculo; et spiritu ac mente artius diligeretur quam aspectu: sicut idem ipse Dominus noster ait. Nisi abiero: Paraclitus non veniet. Expedit enim vobis ut ego vadam.

Congratulatio ad pie defunctos.

CVm ergo tolluntur a nobis spirituales amici si sequimur Christum ad caelos ascendentem congaudendum erit utique eis quia vadunt ad Patrem; quia illam caelestem mansionem accipiunt:

ad quam nostra peregrinatio ex hac valle lacrimarum totiens suspirat. Si vero aliqui adhuc differuntur a regno; pro parvulorum nimirum eos consolatione vivere credendum est: quibus lac spiritualis consolationis opus est.

Consolatio spiritualis hominis.

QVi autem ad tantam gratiam pervenire potest ut sine humano solacio etiam et solus vivere dulce habet gaudeat: quia quanto exterius nihil quaerit: tanto uberius intus per spiritum consolari merebitur. Huiusmodi hominis est iugi meditatione divinae legis cuncta terrena oblivisci, et ardenti mentis desiderio beatorum gaudiis interesse: ac omnem consolationis suavitatem in illa beatitudine constituere; atque exhinc frequenter haurire fluenta devotarum lacrimarum: quae sibi etiam prae amoris magnitudine dulces sunt, quemadmodum sanctus David ex desiderio videndi Deum loquitur. Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte: dum dicitur mihi cotidie ubi est Deus tuus?

Quam bonum est homini sic esse: sed non sine labore et custodia sui poterit diu sic esse. Multa sunt enim: quae hominem a suo proposito retrahunt.

Communis vita magna iam apparet si bene servetur.

SEd tamen magnum pro nunc videtur si quis communis vitae sequens formam nullos superfluos exitus et circuitus faciat; licet propter gravitatem vitae quandoque necessarios egressus devitare: aliquid maius sit. Qui adhuc largioribus indigent consolationibus non sunt despiciendi nec frangendi; forte expedit aliquibus ut parumper de aëre rapiant, quia si omnem perdiderint humanam consolationem cum divinam nondum idonei sint perfecte capere: consumentur taedio et affligentur plus quam oportet nescientes viam fortium imitari. Tu autem ascende modicum altius, et sic compatere aliis: ut imitari tamen eorum infirma non velis. Strictiora tamen et graviora quam portare sufficias non approbo: sed secundum facultatem tuam secretum et solitudinem prout religiosius vales propono.

Signa devotorum.

BOnum signum devotionis est cellam amare, vel alterum locum aptum ad vacandum Deo expetere: ne impediatur spiritus in oratione vel meditatione

caelesti. Amabilis talis vita: non onerosa. Siquidem devotis mentibus omnis locus secretus aptus et placidus: et omne tempus breve ad exercitia spiritualia.

Temptationes devotorum.

FOrte aliter interdum secum experiuntur: et eis quaelibet dulcia et levia in amaritudinem et taedium vertuntur. Cum ergo talia superveniunt: non idcirco priora bona postponere debent, nec putare quod Deo displiceat propositum sanctum; sed cogitare quam utile sit ut quandoque parum tribulentur et probentur a spiritibus malignis: et sic per patientiam fructus bonos afferant. Admonentur per haec quoque de cetero fieri sollicitiores ad tolerantiam adversitatum: quia non tantum in quiete, sed etiam in tribulationibus et temptationibus Deum diligere et laudare gloriosior profecto via perfectionis est ad aeternam vitam.

Reprobatio temporalis solacii.

QVid potest boni conferre homini breve et inane foris solacium? Aut quid postposito Creatore capietur de creatura iucunditatis? Nisi per creaturam quaerat ascendere ad Conditorem:

laborabit nec satiabitur anima eius. De consensu Creatoris ad amandum creaturas exire liceat: de sensu vero carnis attrahere delectationem, vetitum est spiritui.

Recommendatio dulcedinis caelestis quae est in Christo Iesu.

AGnosce Sponsi caelestis speciem et adverte dignitatem amoris tui; quia quitquid praeter ipsum amaveris non implebit te: sed fugiet a te. Fugit omnis gloria terrestrium: et propinatur amantibus eam fel et acetum in novissimis. Saturitatem non habet mundus: neque olei suavitatem. Iesus autem dulcedo ineffabilis et totus desiderabilis: qui suos consolatione internae pacis in praesenti frequenter visitat, et in futura vita satietate mirifica adimplebit.

De familiaritate cum Iesu.

QVaere igitur ipsius ditari consolatione: ipsius secreta dulcedine refici; ipsius casta familiaritate in abyssum divinitatis recipi: quia vox eius est. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Nullus locus tam solitarius sit: quo Iesus priorem locum non habeat. Sine illo

omne secretum tumultus: cum illo omnis locus quietus et delectabilis. Dulcius est cum illo esse in cruce: quam sine illo in paradiso. Ipso praesente quid iam deesse poterit?

Quod diversimode nunc adest Iesus dilectis suis.

NVnc tamen adest sicut peregrinationi nostrae congruit: postea videbitur sicuti est. Adest quidem semper, sed non eodem modo; quia aliquando iudicium suum nobis per tribulationum flagella aperit: aliquando misericordiam suam per ablationem adversantium restitutionemque pacis manifestat. Sic adest piis dilectoribus suis: ut tamen sine pressura in hac vita non sint. In mundo inquit pressuram habebitis: sed confidite quia ego vici mundum. Sic adest ipsis tamquam filiis pater; ut castigati et non mortificati: ut destituti sed non derelicti; ut infirmi facti sed fide non fracti: ut lugentes et egentes sed spe gaudentes et caritate ferventes; melius et expeditius tendant ad aeterna: formidolosius et despectius teneant praesentia. Rursum adest electis gratiam infundendo: interius consolando, caelestia revelando; pacem mentis et corporis largiendo, vitia et pas-

siones supprimendo: temptationes et gravitates ceteras auferendo. Sed non semper durat haec clarior hora; quia iterum se subtrahens permittit omnia paene contraria evenire: ut fides illorum pretiosior sit auro quod per ignem probatur. Et tamen tunc etiam adest et satis utiliter et fructuose: licet sustinenti sit gravius et indelectabilius.

De laude patientis cum Iesu adversa et scandala.

QVam laudabilis hic: cui Iesus placet non minus in adversis quam in prosperis. Qui cum illo manducat et bibit: et iterum libenter esurit et sitit. Qui sequitur eum usque in montem visionis et gloriae et constanter sequi non formidat eum in patibulo: confiteturque in singulis istis, quoniam bonus quoniam dulcis et amabilis atque laudabilis valde. Hinc ipse dicit. Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, quando videlicet adversa contingunt: quia in prosperis scandala non urunt nec eo tempore probatur aliquis esse discipulus Iesu. Dilige ergo eum quando bona tribuit; dilige eum quando eadem tollit: insuper et tribulationem mittens affligit. Nulla adversitas: nulla prosperitas cor penitus ab eo se-

paret. Nec mirum si gravatur et tribulatur ipsa natura cum instat passio; dummodo tamen spiritus se subdat voluntati et ordinationi eius: manet utique in patiente dilectio.

De solacio habendo cum Christo Iesu.

HIc itaque pro solacio unico tibi sit ubicumque fueris; et qualitercumque tecum transierit ipsius in te mansionem semper sitias: et omnia consilia tua in eo permaneant. Gratiam eius et praesentiam summe caveas violare; quia illo offenso quid pacis habebis? Alta cogitatio et sensus elatus, amor temporalis et affectus visibilium et quodcumque vile gaudium de creaturis obnubilat cor etiam sanctum; ne videatur Iesus cum Patre in caelo: aut sub matre in praesepio. Insipida fiunt omnia devota Christi misteria: convertenti se ad exteriora et inania. Affectus vero affectum vincit; et qui spiritualia sapit: omnia inferiora propter Christum libenter derelinquit.

Vita Christi et sanctorum extra mundum fuit.

ANtecessit nos forma Filii Dei: et secuti sunt eum omnes exercitus sanctorum in albis. Vilipensus est a

philochristis omnis decor exterior sensibilium rerum. Aurum et argentum lapides pretiosi: varius ornatus vestium, abundantia divitiarum, copiosus apparatus epularum, voluptas carnis, frequentia clientum, effrenatio deliciarum, et omne delectabile et commodum corporis non potuit emollire corda sanctorum; nec inficere nares eorum neque seducere oculos eorum: quia florentem mundum mentis despectu calcarunt; cum scirent profecto celerem finem habiturum omne gaudium praesentis vitae: et postea in brevi secuturum praemium quod nullo fine claudetur.

His tamen omnibus irretitus est miserabiliter mundus; his insanit libidinibus: his laetatur luti volutabris. Tacere melius est de his quam immunda purgamenta revolvere: ne coinquinationis suae pulverem etiam ad secretum mentis hostis iactet; ne tumultus inferat, ne meliora dirimat: ne occasionem alicuius maculae ex hac recordatione praebeat, et sustinere non possis.

De quiete cellicolae a turbine saeculi.

QVam bene agis cellicola quod spretis saeculi tumultibus confugisti sub umbraculo Christi: ubi interim re-

pauses quiete felici. Quam sapienter elegisti latere; quam proficue conaris soli Deo vivere: et eius oculis tantummodo apparere. Si Christum et matrem Christi diligis; si amantes Iesum et currentes post eum devote sequeris: non erit in te amor et cura carnis; neque angustus paupertatis locus: neque labor taediosus; neque tristis solitudo tua: neque silentium non iucundum.

De inclusorio et secreto cordis in omni loco.

FAc tibi quoddam cordis inclusorium: ut etiam quolibet in loco constitutus sis, tecum comitetur tua solitudo. Arcam construe ex omni parte firmam et seratam, ut salveris ab aquis diluvii: graves enim et indicibiles fluctus magni maris saecularis utique cohabitationis. Super ripam Iordanis stabat Iohannes: et vidit Iesum ad se venientem. Stat cum eo super ripam fluminis; qui seorsum ab actibus mundanis degit: ut Iesum oculis fidei altius contempletur. Vnam tamen fenestram habeat arca tua; ut per eam intret Christus: et sit obliqua; ne veniat satanas: quia minus laete amicum suscipit qui inimici fraudes aditumque non obstruit. Omnibus bonis inimicus est diabolus, insidiatorque continuus: sed

monachis et religiosis amplius. Qui quanto perfectius iter incedunt virtutis: tanto acrius ille nititur eos impedire quibus poterit artibus. Adversus quem nos muniat et a cuius fallacia praesignet et tueatur servulos suos Iesus Christus Dominus noster. Amen.

DE CVSTODIA SILENTII.

CAPITVLVM SECVNDVM.

NOn satis esse debet ad profectum tuum ut diligas secretum: nisi diligas et religionis custodem sacrum scilicet silentium.

Exemplum silentii in David propheta.

HInc de sancto David qui tam multa caelestis contemplationis arcana in secreta mansione didicit et cecinit, notanter scribitur: quia Chusi erat amicus David qui interpretatur silentium. Quam specialis iste amicus eius fuerit: in pluribus psalterii locis aperit dicens. Dixi. Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea. Et paulo post. Obmutui et humiliatus sum: et silui a bonis. Qui rursus alibi deprecatur Dominum pro continentia linguae dicens. Pone Domine

custodiam ori meo: et ostium circumstantiae labiis meis.

Talis ac tantus vir qui cotidie magnis populorum turbis ambiebatur et regali potestate etiam multis nationibus dominabatur, silentium diligebat; linguae suae custodiam ponebat: et ne superaretur aliqua fragilitate aut levitate pro hac Dominum humiliter exorabat. Vbi statutum legerat silentium religiosorum; ubi disciplinam didicerat monasticam? Certe Spiritus sancti gratia praeventus et instructus: legem vitae et disciplinae suscepit et tenuit. Quae si nunc assit nobis, poterimus et eandem observare silentii formam: quae a senioribus nostris tradita est, et diligentius ab antiquo commendata.

Recommendatio silentii secundum patres religiosos.

Mnes religiosi patres recommendaverunt silentium: et quicumque etiam privatim vixerunt hoc tenuerunt et docuerunt. Quidam habent quasi cotidianum silentium: quidam autem sub quodam moderamine temporum et locorum et personarum. Et licet non arteris ad tantam observantiam quantam multi ex professione ordinis tenentur: tamen magni meriti apud Deum eris quod ex

voto et amore silentii os tuum custodis. Insuper et aliis in hoc proposito bonum et aedificabile praebes exemplum: cum viderint formam sanctae religionis in te florere.

Virtutes silentii.

SIs igitur sollicitus in hac observantia: propter multas virtutes in ea latentes. Nam silentium bene servando oboedientiam etiam servas: humilitatem retines; verecundiam adornas, senibus reverentiam exhibes: iuvenibus exemplum praebes, levibus et dissolutis timorem incutis; extraneis bonam famam: intraneis pacem et concordiam generas. Habeas autem adhuc talem custodiam, ut primo serves stricte et perfecte quod communis constitutio fixit: dehinc ut cum loqui licet temperate utilia et necessaria sive tibi seu aliis dicas. Quaecumque autem ex superfluitate aut otiositate aut neglegentia coincidunt; citius emendare festines: atque post lapsum praemunitior esto de cetero.

Remedium contra locutionem.

SAlutare remedium est contra excessum locutionis: aliquo tempore abstinere a necessariis et licitis etiam si

nemo iubeat. Levius et suavius onus fertur: quod ex affectu voluntario et interiori Spiritus sancti correptione accipitur. Prudenter quidem se artat sub disciplina discipulus agnoscens recentem culpam: antequam magistri virga accedat ad feriendum crescentem iam passionem.

Reprehensio loquacium.

SI assuescit aliquis ad singulas occasiones loqui; quando erit liber et quietus in se? Raro deerit loquaci occasio; neque ulla ei persona disconvenit: quasi omnibus notus sit sic affatur tacentes et ignotos. Sapientibus et insipientibus debitorem se facit: sed et materia et peritia sermonis non desit; de omnibus se instructum putat: tantum hora brevis et signum silentii cogit breviare sermonem. In hoc usus est malus peior correctionis neglegentia: sed fragilitas aliquando venialis et ad correctionem pronior.

Excusatio utilium doctrinarum.

NE tamen putetur omnis locutio aut sermo prolixus reprehensibilis ex doctrina Christi et apostolorum Actibus

probari potest. Nam Christus ascendens in montem docturus discipulos suos: uberiori eos sermone protracto ditavit. Altera quoque vice electurus duodecim apostolos prius sapientiae suae monitis largius illos instruens: ad praedicandum misit. Novissime vero cum iam esset recessurus et in crastino passurus; post sacratissimam cenam coepit solito dulciorem habere sermonem: sicut tristibus et orphanis sua gratissima praesentia orbandis necessarium esse praesciebat.

Constat de beato apostolo Paulo quod aliquando aedificationis gratia usque ad mediam noctem sermonem protraxerit. Similia quoque inveniuntur gesta ab antiquis patribus; quemadmodum beatus Antonius fratribus collationem uberiorem impartitus est: veluti et beatus Benedictus Domino hoc volente sorori suae de caelestibus gaudiis nocturnum colloquium praeter consuetudinem solitam concessit.

Vbi ergo talis intercesserit utilitas et gratia: acquiescere aliorum postulationi esset magnum pietatis opus. Neque hoc facto solveretur spiritalis animae intellegentia: cum possit forte maior propter fraternam aedificationem hac ipsa hora intellectus dari. Si quis autem subditus est oboedientiae nihil agere potest sine

superioris licentia: nec quidem loqui etiam si possit prodesse. Superior vel quilibet sui adhuc iuris in hoc maxime Deo subiectus erit.

Secundum recte sapientes sermo longus et utilis causari non debet longus et tamquam ideo superfluus quia diffuse tractatur: alioquin tardiores sensu saepe relinquerentur. Omne autem verbum quod gravitatem aut utilitatem non redolet: merito a puris mentibus longum esse sentitur.

Licet igitur custoditus esse debeas et tardus ad loquendum; quatinus suo in tempore prudentior et utilior fias ad proferendum: sic tamen ama silentium ut fratri indigenti non deneges verbum. Sic te ipsum tempera ab omni solacio alieno: ut si res postulaverit libere conferas cum amico, eiusque utaris consilio.

Pone inquit propheta ostium circumstantiae labiis meis. Ostium ad aperiendum et claudendum aptum est: ut necessariis aperiatur, vanis claudatur.

De cautela contra rigorem nimium et abstractionem singularem.

Vnde cavendum est ne rigide et indiscrete quis taceat: praecipue is qui cum aliis in congregatione vivit. Nam

qui ita singulari silentio rigesceret: diu stare concorditer cum aliis non posset. Aut ipse per se deficit: aut diabolicis instinctibus ad aliqua deteriora in fine labitur.

Exempla plura vidi; et quaedam non longe audivi: et tu forte quosdam nosti. Qui bene appetit et perseveranter proficere; non solum attendat quam fortiter incipiat: sed etiam quo fine consummet.

Saepe strictiora principia quorundam finem fecerunt laxiorem ceteris: et quidam abiere retrorsum omnino. Videbatur enim eis importabile: iugum Domini. Fervor in principio necessarius: sed tamen non sine moderamine. Non est sine periculo et laqueo: singularis observantia in communi domo. Ille magis laudabilis fervor, qui communia propriis praeponens, in his numquam neglegens satagit inveniri quae cum aliis susceperit ad portandum.

Distinctio diversorum hominum in silendo.

Vidam magnum aestimant silentium continuum servare; sicut et est: sed silere et loqui prout oportet maius est. Qui abstracte et solitarie vivit: potest

quantum strictius voluerit silentium custodire. Qui vero cum multis vivit: non solum satis sibi sed etiam aliis socialis esse debet. Adhuc qui in externis est et cum diversis hominibus saepe conversatur implere tantam custodiam difficulter potest quin verbo aliquando offendat: et utinam se ipsum non penitus perdat. Ideoque illi bene cui donatum est a Domino esse et posse in quiete et in cella morari: quia exteriora et saecularia vix sine culpa et spirituali detrimento possunt tractari. Nam qui in multitudine est: saepe tacere ab aliis non permittitur. Et cum ex necessitate loqui tantum appetit; usu locutionis ad neglegentiam sui primo labitur: postmodum lingua proclivius ad quaecumque liber resolvitur. Vnde consequenter accidit ut quod audire vix pacifice potuit propter cordis custodiam: ex multa neglegentia hoc ipsum non pudeat eum publicare.

De quibusdam specialibus impedimentis in locutione longa.

SCiendum ergo quod in locutionibus solent homini spirituali plura saepe contingere detrimenta. Propterea utile est habere aliquam admonitionem et instructionem: ad quaedam specialius ca-

venda. Vnde frequenter habere longa colloquia: irreligiosum est et suspectum. Nam talia inanem faciunt hominem et sancti propositi immemorem; et ad quietis et cellae custodiam pigrum: atque ad divina cogitanda caecum et insipidum. Raro enim aedificatio nascitur spiritualis hinc inde vage conferentibus. Absque certa specialique tractandi materia longa colloquia non expediunt: et his praecipue temporibus quibus Deo familiarius vacandum esset. Nam summopere mane et vespere ab omnibus humanis actibus et colloquiis cessandum est: quia hae sunt horae devotionis, reparationis, emendationis, et propositionis. Et qui ista tempora neglegenter ducunt, timendum satis quod per totum diem distractiores erunt: pluraque offendicula incurrent. Sacra igitur illorum institutio religiosorum, qui artiori silentio post horam completorii usque post primas insistunt: potius consideranda esset et imitanda.

Contra nocturna colloquia.

NOn est bona aliquantorum consuetudo sed execranda; noctem sacram turbare fabulis: quae electa est et deputata tam caelestibus disciplinis. Nisi enim praecaveatur vespertina seu nocturna in-

utilis fabulatio; sequitur multotiens de mane longa dormitatio et alia disconvenientia in reliquis diei operibus: quia secundum quendam sapientem, uno inconvenienti dato sequuntur plurima. Et est deflenda utique transgressio digneque punienda, diem videlicet laboribus et distractionibus deducere; et advesperascente sole his deteriora addere: nec lapsum diei cursum per restantia quietis tempora aliquatenus revocare. Incongruum omnino videtur ut aliis quieti et devotioni deditis, alii pascantur infelicibus fabulis: unde sibi ipsis gravem conscientiam, reliquis autem scandali occasionem aut aliud puritatis impedimentum contra Deum et proximum peccantes acquirant.

Experimentum malae conscientiae arguit talia colloquia.

Confessi sunt quidam experientia instructi parvam se gratiam, tristitiam vero magnam ex nocturnis contraxisse colloquiis; quia si bona multa interfuerant atque prima intentio pura visa est: mala tamen artius premebant; quae qualicumque occasione non defuerunt: nam hoc multotiens accidit ut aliquid indecens, seu saeculare aut detractorium

verbum dicatur aut audiatur quod non faciliter a corde recedat; et ex illo plus inficiatur auditor vel gravius mordeatur postea qui dixit: quam de omnibus aliis sane et acceptabiliter pertractatis emendetur. Cum enim homines valde fragiles simus: parvum et leve est unde non parum saepe laedimur aut inficimur.

Remedium contra praedicta.

IDeo medicina huius fragilitatis efficacior est praecavere temptationis laqueum: fugere occasionem loquendi; citius etiam abrumpere antequam crescat ignis linguae: quia ignita tela diaboli exeunt per linguam immoderatam, quam ille commovere tamquam familiare sibi membrum numquam cessat.

De necessariis locutionibus.

SEd cum aliqui sint quos causa satis necessaria saepe ad loquendum trahit sive de his quae ad officium curae suae spectant: sive quae interius ex animi perplexitate exurgunt; ita ut ad aliorum consilium et solacium eorum solacium aliqualiter dependeat: non videtur tam possibile ut moras loquendi aliquando non exaggerent.

Consilium istorum.

QVibus tamen hoc faciendum est et suggerendum ne humana solacia ultra necessarium petant; sed potius misericordiam Domini cogitantes in suis dubiis et perplexitatibus studeant in silentio intentius ad Deum confugere et ab eo suffragium petere: atque ab aliis etiam fratribus manum superni levaminis humiliter inquirere donec subleventur.

Quicquid autem humano metu aut propria fiducia maculosum contraxerint; statim ut animadvertere coeperint: eidem supernae bonitati summaeque providentiae eius universaliter committant: quoniam quidem nulla sunt humana consilia inutilisque mortalium sollertia: nisi ipsius praeveniat et subsequatur nos semper clementia. Sic ergo semet ipsos poterunt a nocivis et non necessariis verbis castificare: aliisque occasionem labendi tollere.

Consideratio utilis prudentibus.

SImulque considerent quia non assuescit homo cavere superflua: nisi a multis licitis libenter abstineat. Sapientibus enim pauca sufficiunt: et ne-

cessariis acquiescentes multorum garrulationem non advertunt. Insipientibus vero non sufficit verborum numerus: neque modum imitari sapientium norunt; et tamen scriptum est: stultus si tacuerit sapiens reputabitur.

De instabilitate leviter et dissolute loquentium.

HAnc doctrinam quidam cupientes servare non diu perseverant: quia aliter consuefacti vincere pronitatem verborum levium arduum putant. Cum enim ab omni sermone vacuo prolixo et vario se suspendere proponunt; quandoque cum multo etiam gemitu reprehendere incipiunt quod hucusque tam incustoditi vixerunt: sed occurrente occasione impositum sibi propter vitiosam consuetudinem silentium resolvunt.

Qualiter dissuescit homo multiloquium.

QVam utique consuetudinem si dediscere et amputare voluerint studeant saepe innovare propositum hodie silendi propter amorem Christi; et sollicitius occasiones loquendi declinare: atque hominum levium libenterque fabu-

lantium vitare praesentiam. Nec hoc propter illos quantum propter suam infirmitatem et insufficientiam sibi faciendum esse sentiant.

Insuper pro sua confortatione pensent quanta mala ex tali vitioso usu soleant sibi accidere; quanta etiam possent adhuc nisi vigilanter compescant linguam accumulare: linguam enim nullus hominum domare potest. Satis gravis et lamentabilis ista sententia, quod humanum genus in tanta versatur debilitate et insipientia: quod tam parvum membrum rationis imperio nequit subiugare. Forte longe facilius esset multis omnino tacere quam verbo non iocari: aut quod ad rem non pertinet aliquando non dicere. Quod si tacuerint: certe liberi erunt ab offensione verbi.

De peccato locutionis.

Vis enim plene iudicet quotiens peccatur verbo? Aut enim otiosum, aut iocosum: aut elatum, aut durum; aut indignabundum, aut dissolutum: aut adulatorium, aut seductorium; aut vanigloriosum, aut praesumptuosum: aut defensorium, aut excusatorium; aut detractorium, aut mendosum: aut inhonestum, aut nocivum; aut exprobratorium, aut

illusorium: aut superfluum, aut improvisum, aut intempestivum, aut illicitum: aut alio quolibet genere vitiosum est verbum quod committitur.

De vitio detractionis.

INter quae saepissime detractionis vitium principatur: quia de absentibus loqui nunc ista nunc illa generalissimum inter homines congregatos invenitur. Et unusquisque libenter quid in aliis sibi placet aut displicet evomit; minus caute attendens ne forte cuiquam deroget: quam graviter etiam et faciliter possit verbo delinquere. Saepe dicitur quod statim ut dictum est paenitere incipit: et numquam si posset illaesum revocari diceretur. Et utinam semel cadendo doceretur homo damno suo: ne iterum caderet.

Faciliter peccatur in verbo.

QVo facilius delinquitur quam verbo? Qui enim verbo non offendit: hic perfectus est vir. Sed tamen cogitatione multo facilius: ac etiam gravius delinqui potest. Ex corde enim ut Dominus ait oriuntur blasphemiae mendacia: quae coinquinant hominem. Malum igitur prius concipitur in corde: verbum autem malum

procedit ex malo corde. Sed in corde facilius et occultius: in verbo autem facilius et manifestius peccatur. Hinc etiam scriptum est. In multiloquio non deerit peccatum.

Qualiter decipitur homo et retrahitur a custodia silentii.

Decipitur homo multotiens sub pietatis et affabilitatis vultu a rigore suo quem sibi indixerat: ut cum cavere cupiens nimietatem loquendi timet periculum aliud ne ex sua taciturnitate quispiam gravetur quia forte non satisfacit ei, quia rarius eum alloquitur, quia parum de ipsius fraternitate curare videtur; unde etiam aliquando parva caritas, celerior suspicio: commotio et indignatio, conquestio aut etiam detractio in altero surrepere posset. Sed hoc si aliquo indicio deprehenderet et alterius caritatem super se violari praesentiret; tunc quantum liceret ei ex oboedientia loci et temporis loqui non loquens peccaret: lingua enim placabilis lignum vitae, et verbum bonum super omne donum. Sic iterum descendit homo ad aperiendum ostium pulsanti: qui pro sua persona claudere semper appeteret os suum ut tanto securius custodiret animam suam.

Sed quomodo decipitur nondum apparet: quia ex forma praedicta solvere silentium non culpa sed virtus videtur.

Verum quia homo ad loquendum serus et custoditus circa principium aliquantulum strictior est: sed cum iam lingua ad longiora movetur colloquia multa etiam neglegenter subintrare patitur: quae ex fine sero conscientia ad se revertente clarius videt: ita quod inceptum est necessitate et utilitate alterius finitur saepe levitate et permixtione externae consolationis; et qui proposuit vix admittere necessaria, ne rueret ad otiosa: ex primis necessariis ducitur extra se ad reprehensibilia.

Saepe etiam advertit lapsum suum et tamen labendo non tacet; videt se deviare nec redit: donec foveam apertam inveniat aut obstaculum quod os eius obstruat; atque utinam confusus et humiliatus eiulando et dolendo resipiscat: nec amodo sibi confidat.

Recognitio erroris post lapsum.

QVi cum plene in se reversus fuerit suam fragilitatem multam considerans deceptionemque perpendens: merito cum propheta conqueri potest. La-

queum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.

De laqueis linguae.

PRimo siquidem homo illaqueatur ad auditum verborum non sanorum: postea incurvatur ad consensum ut dicat iam talia quae audire metuebat. Valde enim incurvatur anima quando deserto Deo et sermonibus eius convertitur ad vaniloquia: pro capienda consolatione misera. Vel sic quandoque pedibus illaqueatur ut stet ad loquendum per aliquas moras; tandem ex placentia audiendi vel loquendi incurvatur ad sedendum ut sit iucunda et integra fabulatio. Ecce frater quantus laqueus linguae: quam prona subintrat seductio. Non ergo dissonat a vero: quia saepe decipitur quis sub pietatis vultu a sancto rigore.

Quaestio oritur ex his et longe praedictis.

RVrsum te movere potest cum longe superius dictum sit cavendum esse de nimio rigore qui quosdam de singularitate notat et quandoque perdidit; cur hic ostenditur casus et laqueus si rigor neglegitur? Inter angustias comprehen-

ditur hoc audito animus: et sermo iste magis perplexum legentem facit.

Qui propter huiusmodi movetur, cogitet, quia utrobique pericula ubique obstacula plura insunt: sive loquatur sive indiscrete quis taceat.

Discretio sequenda est et inquirenda prae omnibus iam dictis.

UT autem ad aliquam saltem discretionis regulam se aptet et informet, conveniens fuit ut hanc ostenso bono silentii et vitio loquacitatis cum eorum laqueis: virtutis amator facilius inveniret. Nec ergo simpliciter oportuit commendari silentium quasi semper servandum: neque reprehendi ipsam rursus locutionem tamquam semper superfluam; quia in omnibus discretio pulcherrima virtus est: quae laqueos a dextris et a sinistris praecavens viam perfectissimam demonstrat.

Devoti et religiosi plus ceteris silentio insistere debent.

EST tamen pluribus magis necessaria custodia silentii: qui videlicet in statu religionis et proposito bono atque

a saecularibus hominibus remoti et omnibus temporalibus curis exuti Deo servire elegerunt. Qui etiam maiorem rationem tenentur reddere in die iudicii pro omni verbo otioso. Nec solum de verbo: sed de qualibet alia neglegentia et transgressione gravius iudicabuntur. Cui enim plus donatum est: plus ab eo exigitur. Si etiam illi plenam excusationem non habent qui officio pastoralis curae aut fraternae necessitatis commissione quaedam otiosa verba vel superflua per fragilitatem coguntur admittere; quanto minus qui nullo tenentur vinculo sollicitudinis alienae?

Communiter silere magis indigemus quam loqui.

COmmuniter omnes plus indigemus silere quam loqui: et pauci vere sunt qui ad loquendum tam tardi sunt ut violentia indigent. Econtra vero multa violentia opus habemus: ut raro vel pauca loquamur. Nam loqui et fabulari secundum naturam est: sed silere contra carnem, quae exterioribus et saecularibus pasci delectatur rumoribus. Potest tamen fieri ut homini saepe contrarium sit loqui et maxime cum interius visitatur et compungitur; atque amore aut terrore erudi-

tur: ne tantam gratiam per neglegentiam amittat.

Defectus consolationis spiritualis unde veniat.

Hinc etiam potest esse signum quod parvam habemus interiorem consolationem: quia tam facile et frequenter quaerimus exteriorem. Et ideo non meremur divinam accipere: quia libenter admittimus humanam et caducam, quam oporteret nos potius fastidire. Quam si perfecte et perseveranter non valet quis abicere: studeat saltem paulatim ad meliora et altiora transire.

Silendum est magis devotis temporibus et festivitatibus.

Bene deceret religiosum quibusdam devotis temporibus anni sicut in adventu Domini et in quadragesima et quibusdam aliis diebus scilicet sextis feriis abstinere se a colloquiis: quanto strictius posset. Insuper arripienda esset maior custodia cordis et oris pariter in vigiliis et magnis festivitatibus sanctorum; quatenus debita reverentia et digna quantum status suus permiserit praeparatus ad festa ventura: mereretur in die sancto

sanctissimum Dominici corporis et sanguinis sacramentum desiderio magno gaudioque sincero suscipere.

De communione.

CONvenit enim illo praecipue die quando Christum sacramentaliter suscepimus ad hospitium cordis nostri sacratiori nos insistere custodiae; et saltem unum laetum diem cum ipso ducere: qui multis diebus et horis ab eius amplexu distrahimur. Non esset nimis mirum si tunc anima devota cum eo esset tota: quando et ille non dimidius sed totus ad eam venire dignatus est Christus.

Comparatio dilecti amici ad dilectissimum amicum Christum.

QVis enim veniente ad se amico carissimo statim cum allocutus eum semel fuerit foras egredi festinat; ipso solo in domo relicto, quin potius ingreditur cum eo etiam si foris fuerit et tanti hospitis curam alacriter excipit: ita ut aliis hinc inde occupatis et ad externa egredientibus hic soli se coniungit; tantoque familiarius alloquitur, proprius

assidet: et cuncta dilectionis signa exhibet quanto securior est quia nemine praesente et aspiciente possit verecundari vel prohiberi.

Hoc modo susceptionis Christi adventus deberet ab omnibus famulantibus sibi recoli: et longe devotius et reverentius quanto maior est omnibus amicis et creaturis desideranter ab unoquoque nostrum recipi.

O dulcissimum amicum prae omnibus dilectis gratiosissimo honore suscipiendum.

Dignitas et humilitas Christi ad nos.

QVi et tantae dignitatis est et nobilitatis, ut nulla persona nulla creatura tam valens et elegans sit quae ei praesentari debeat vel assimilari: et iterum tantae humilitatis et bonitatis existit ut ad hominem inopem et infirmum venire atque sub tectum eius intrare non dedignetur. Et qui caelum inhabitat et omnem caelestem curiam sua deifica praesentia laetificat: adhuc cum pauperibus hominibus esse, eorumque hospitia mendicare et ingredi quotienscumque desideraverint et sibi aperuerint non despicit. Vnde sic ait. Ecce ego sto ante ostium et pulso: si quis aperuerit mihi intrabo

ad illum, et cenabo cum illo et ipse mecum.

Fit autem ista cena quandocumque Christus spirituali mente vel etiam communione sacramentali devote et digne suscipitur et manducatur.

Quantam habet anima suscepto Christo consolationem.

Hic ergo cum susceptus fuerit; cui iam libet alicubi foras exire? Habet enim fontem omnium consolationum: habet et paradisum omnis voluptatis. Qui de hoc fonte biberit: non sitiet umquam. Quia qui corde suavitatem in Christo absconditam plenius degustat; numquam temporalem vel carnalem delectationem appetit: et hoc est non sitiet umquam. Bene illi animae quae huic sponso et amico dulcissimo ad se venienti domum mentis semper parat: parandoque cotidie mundiorem efficere curat.

Ipse utique libens hanc intrabit: qui ad eam antequam mundari incepisset ad hoc venit ut eiceret tenebras eius et mundaret eam sibi. Veni Domine Iesu et munda me lava et exterge me: ut merear puro corde et casto corpore suscipere te, quia non est mihi bonum esse sine te.

Cur non percipimus fructum ex frequenti communione.

TImendum quod multi ideo fructum parvum accipiunt de mensa Christi: quia nec antea nec postea sunt in sufficienti custodia sui; nec satis reverenter praecogitant quis est qui venturus est: nec postea ruminant quia hodie sanctus sanctorum ingressus est ad eos. Qui autem solliciti sunt praeparare interiorem domum suam; et occurrere laetanter obviam Christo: ipsi noverunt quid efficaciae et suavitatis habeat haec sacrosancta communio. In hoc agnoscitur uniuscuiusque devotio et amor ad Christum: secundum quod ingeniose se aptare curaverit ad susceptionem eius.

Saepius communicare maxima consolatio animae religiosae.

ESt namque una maxima consolatio religiosae animae despicientis iam cuncta praesentia: diligentis solitarie et extra homines vivere; soli Deo et sibi in silentio intentius vacare: ut Christum consolatorem animarum omnium saepius ad suam sumat consolationem et profectum. Non est illi materia externae laetitiae; non aegra spes longioris vitae:

non vana occupatio amicitiae carnalis, non evagatio ambulationis corporalis; non implicatio commodi temporalis, non superflua sollicitudo rei familiaris: non magna fiducia in prosperis, non mentis deiectio in adversis; sed habet intus in animo Christum propter quem omnia terrena solacia aestimat detrimenta: loquens cum beatissima Agatha. Mens mea solidata est et in Christo fundata: ideo non curo haec ima. Tantum mihi consortium suum Christus donet amicabiliterque confabuletur: et satis dulciter consolabor. Excedunt quippe eius colloquia omnium consolatorum verba.

Diabolus nititur impedire devotionem hominis ad Deum.

SEd omnium bonorum aemulator diabolus tantam considerans hominis cum Deo pactionem: non patitur eum sine molestia temptationis in sancto proposito consistere. Curandum ergo summopere est et vigilandum contra nequitias eius. Nam saepe gravi tristitia, saepe taedio affligit bene conversantem: et cuncta quae possunt eum angustiare ad memoriam ducit. Tota bacchatio eius est: ut eiciat amatorem quietis et silentii de tabernaculo suo. Istis enim specialiter

vitiis tristitia et acedia ex quibus quasi semper oritur cordis taedium persequitur solitarium et maxime incipientem et naturaliter tristem aut pusillanimem: quia per ista homini quodammodo vires aufert.

Sed quisquis firmiter in Deo confidit eiusque amori nihil anteponit, sed mundum et omnia quae mundi sunt calcare appetit, seipsumque volenti animo ad omnes perferendas tristitias amaritudines et gravitates exponit, nullumque aliud solacium sive per hominem sive per aliquam mundi creaturam quam Christum unicum omnium bonorum solacium concupiscit, profecto non tantum tristitiae et acediae sed omnium temptantium vitiorum victor et expulsor erit.

Insidiatur solitariis maxime diabolus.

ET quia magnus fructus et caelestis thesaurus quaeritur et invenitur a solitariis Deo deditis: sciens hoc diabolus qui Adam et Evam temptando blandiendo et falsa promittendo seduxit paradisoque indignos reddidit; ipse nunc usque nititur seducere et subvertere unumquemque Christi servum mundi contemptorem: si quo modo extra cellam et sollicitam cordis sui custodiam trahat; et sui propositi faciat oblivisci: aut etiam paulu-

lum de profectu spirituali et fervore imminui.

Et sicut ante iam dixi per tristitiam vel acediam mentis amplius istud machinatur; quia cum mens tristitia vel acedia involuta fuerit: nil est quod agere libet; sed undique se constrictam et desolatam conspiciens: in consolatione ei ab inimico suggeritur ut dolori isti externa recreatione medeatur. Eleganter ergo persuadet sanctus Antonius dicens. Vnica ratio vincendi inimicum laetitia spiritualis.

Virilitas et alacritas contra inimicum.

NAm qui virilis est et alacer in Domino quamvis fuerit impetitus temptationibus: potens erit adversarium suum expugnare. Et quid dicam de fortitudine illius animi; qui nec patitur immundum spiritum ad fores intrare? Econtra tristitiae et acediae morbo languens: etiam si armamenta resistendi habet nulla utitur potentia. Deficit enim corde et formidine: ac pusillanimitate propria saepe ante prosternitur quam labor eum proelii tangat.

Quapropter o miles Christi indue animum virilem: et ne paveas ad sonitum folii volantis; sed resumptis viribus sta

constanter adversus multiplices diaboli conatus nec credas mendacio eius. Dominus omnipotens ipse erit protector tuus et merces tua magna nimis: cuius potestas super passiones tuas, ita ut subiciantur dicioni tuae universae istae nationes. Et quia excessum loquendi feci ad portum silentii iam remeo: lingua ergo manusque scribentis simul hoc iam fine silescant.

EXPLICIT EPISTVLA AD QVENDAM A MINISTERIO SVO ABSOLVTVM DE RECOMMENDATIONE SOLITVDINIS ET CVSTODIA SILENTII.

EPISTVLAE

INCIPIVNT TITVLI EPISTVLARVM SEQVENTIVM.

Epistula incitativa ad spiritualem profectum.
Epistula de custodia habenda ad se ipsum.
Epistula pro confortatione cuiusdam temptati.
Epistula de conversione et perseverantia in bono proposito.
Epistula de pia memoria defunctorum.

EXPLICIVNT TITVLI.

INCIPIT EPISTVLA INCITATIVA AD SPIRITVALEM PROFECTVM.

CArissime frater libenter tecum divido si quid boni Dominus pauperi servo suo suggesserit. Ego sum pauper et mendicus: sed spero quod Dominus sollicitus erit mei et tui similiter. Vnde oro eius clementiam: ut eleemosyna communis sit nobis de largitate mensae eius. Occurrit hodie Dominus mendico suo cum suavissimo pane de caelo. Dulcis admodum et gratiosus sermo infusus est in auribus meis. Sonuit enim lectio Apocalypsis: et de multitudine tantorum mysteriorum retentus est apud me brevis versiculus. Plura capere non sufficio: sed nec pauca quae obscurius sonant. Dedit Dominus ut aliquid breviter et dulciter sonaret unde traheretur affectus, utinam donet etiam ut hoc ipsum aperiatur intellectui; quia si spiritalibus videtur liquidum: manet tamen carnalibus occultum. Volo ergo te participem fieri huius muneris.

Nam tunc vere comites individui sumus cum in Christo unum sapimus: unum quaerimus et ad unum tendimus.

Appone aurem et ausculta diligenter quod tonat valde dulciter. Qui habet inquit aurem audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo manna absconditum. Et dabo illi calculum candidum: et in calculo nomen novum quod nemo scit nisi qui accipit. Audis iam frater caelestem vocem? Vtinam et interiorem cordium nostrorum auditum tangat: ut vim virtutis illius sentiamus.

Sermo vivus est et omni acceptione dignus. O quam caelestis vox: quae nil terrenum fatur. Quod si caro non capit capiat spiritus: quo nimirum totus hic sermo plenus est. Verba inquit quae ego loquor: spiritus et vita sunt. Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam. Non ergo sentit arcana supernae revelationis homo externus carnalis vagus et elatus: Paulo attestante qui ait. Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intellegere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualibus ergo loquitur qui spiritu facta carnis mortificant et mundum odio habent, et maligna diaboli consilia respuunt; hi enim primitias spiritus habentes quid sit hoc abscondi-

tum manna ignorare non possunt: quia hoc gustando potius quam legendo vel audiendo, didicerunt. Datur autem manna dilectis filiis ex amore Deo Patri servientibus: qui eius voluntati semper placere, eius gloriam student quaerere. Et si non horres accipere: manna interiorem mentis exprimit dulcedinem sive consolationem sanctorum in hac vita.

Est igitur congruus sensus. Vincenti dabo manna absconditum, contemnenti carnalem consolationem dabo spiritalem; respuenti terrena et exteriora bona ostendam caelestia et interiora charismata: quae merito sui excedunt omnia alia delectamenta. Talia ac tanta etiam existunt ut dignus nemo sit cognoscere: nisi prius discat vana et vilia solacia contemnere.

Scriptum est enim. Vir insipiens non cognoscet: et stultus non intelleget haec.

Libet autem pro expugnandis vitiis et malis consuetudinibus vincendis, aliqua latius hic introducere.

Sicut quondam filiis Israel in deserto habitantibus Deus manna pluit; ita et modo spiritalibus filiis suis: gratiam internae consolationis contra temptamenta tribuit. Tamdiu filii Israel illo cibo aliti sunt donec terram promissionis attingerent; et quamdiu electi in mundo peregrinantur pane vitae et intellectus foventur:

donec deposito corpore terram viventium intrent. Dum autem de frugibus illius terrae manducare coepissent statim manna desiit: et dum sancti assumpti fuerint in beatitudinis gloria, amodo non indigent recreari nostro more spiritali alimonia. Vnus tamen panis est qui angelos pascit et homines: animas in gloria, et viatores in gratia.

Sed est quod me multum movet; quia plures sibi deesse manna causantur: plures etiam qui illo refici consueverant gustum iam perdiderunt. Quae est alia causa huius ariditatis et insipidi oris vestri; nisi quia ad egena et infirma mundi solacia reversi estis? Mementote egressionis vestrae ex Aegypto. Dies ille memoriale nominis Domini in sempiternum recordetur. Nulli dubium quin manus Domini vobiscum erat: alioquin in saeculo remansissetis. Vbi est ergo ille spiritus ille primitialis fervor; intentio firma, propositum immobile, fortis ut mors dilectio? Quodammodo armati egressi estis mundum: dum constanti animo omnia perferre adversa vilia et aspera assensi estis. Insuper et cum gaudio venistis ad montem Dei Oreb, ad audiendum legem vitae et disciplinae: dum monita seniorum libenter audire et secundum ea religiose vivere

respondistis. Cur ergo nunc vos itineris taedet; cur ad sarcinas sedetis et gravati ingemiscitis? Iam propter tempus et annos de fructibus terrae promissionis, botros et mala granata aliis afferre et propinare deberetis: et ecce vobis manna etiam deest. Convertimini filii revertentes; quia si corpore non estis reversi ad saeculum: tamen corde adhuc tenemini in variis desideriis terrenorum.

Pro dolor multi spiritaliter exeunt Aegyptum; transeunt mare rubrum: ambulant per desertum; portant tabernaculum et vasa eius: sed non intrant terram promissionis. Paene omnia accidunt eis quae contigerunt filiis Israel, qui murmurantes contra Moysen paenituerunt quia educti sunt de Aegypto.

Sic sic quam plures hodie reperiuntur qui mundum relinquunt, parentes et amicos deserunt; peccata et vitia plangunt praeterita, carnalia desideria abominantur: ignotam iustitiae normam ad manum magistrorum ducti sequuntur; vitam Christi crucifixi aspiciunt: et iugum Domini suave in oboedientia et abnegatione propria ferunt; ita ut omnes parati et ferventes sint ad labores ad abstinentias: mites ad increpationes, humiles ad obiectiones; patientes ad correctiones, et ad adversa quaelibet et indigna con-

stantissimi: sed non in tali fervore omnes perdurant. Nam aliquanto tempore egressionis id est conversionis suae peracto: minus cauti et solliciti de profectu suo incidunt in varias temptationes et aegritudines passionum; ita ut nonnulli se incepisse contristentur: quidam vero deliberant et modum excogitant redeundi. Alii autem etsi manserint cum tepore quodam et usu asinariam molam trahunt: quia parvam devotionem et affectum habent in his quae agenda didicerunt; laboriosa et dura omnia sentiunt: quia manna non habent. Caelum videtur eis aeneum et terra ferrea: quia neque caelestia contemplari neque agrum cordis virtutibus et devotis exercitiis excolere sciunt.

Dicunt tamen quia libenter essent devoti; libenter haberent virtutes: vellent se vicisse suas passiones. Sed non sufficit tantum bene velle: si deest manus et opera. Oportet quod laboretis; quod vim naturae faciatis: sicut Dominus dicit. Regnum caelorum vim patitur: et violenti rapiunt illud.

Violentia opus est: et scitis quod sancti non otio et somno promeruerunt regnum Dei. Vsquequo tardatis et quare non armamini contra passiones ut optineatis virtutes; et diversas consolationes

suscipere digni inveniamini? Quanto amplius tardaveritis tanto peius semper fiet: et sine labore et dolore optatam requiem non percipietis. Petite et accipietis; quaerite, et invenietis: pulsate et aperietur vobis. Pigritia et neglegentia vos tenent: sed contra has primo accingimini et bellate proelia Domini. Quid neglegitis proprium profectum? Certe pro vobis est: et pro pace vestra erit labor vester. Dicit scriptura. Modicum laboravi: et multam requiem inveni.

Sed forte respondetis. Adversus vitia et passiones certare quis semper potest? Multae sunt et paene insuperabiles ut nobis videtur. Quis tantam sustinere potest vexationem? Audite increduli et rebelles delicati milites et servi pigri; laborem attenditis, pugnam consideratis; sed de praemio et victoria cur non cogitatis? Et quid est omnis labor ad aeternam requiem; et quid brevis exercitatio ad bonae conscientiae consolationem?

O si inciperetis et fortiter ac integre proponeretis: ut aut vincere aut mori eligeretis; profecto leve Domino auxiliante sentiretis: quod modo insuperabile putatis. Vix aliquando ita vitiosus quis repertus est: cui diligentia cum perseverantia boni virtutes negavit. Videtur

vobis laboriosum vincere passiones vestras: sed nisi edomitae fuerint numquam habebitis veram cordis requiem. Quando ergo alii cum Deo sunt in devotione et bona pace: tunc vobis erit tristitia gravedo et taedium foris et intus. Numquam eritis securi et veraciter laeti: nisi mortificaveritis carnalitates vestras.

Et si non trahit vos sanctorum religiositas et plurimorum devotio; terreat saltem miserabilis inopia vestra: et divinae ultionis sententia. Congregabo inquit super eos mala: et sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame: et devorabunt eos aves morsu amarissimo. Satis dure intonant versiculi isti; et utinam convertant vetustatem vestram: quatenus innovati et fervidi effecti, meliores vos cotidie et alacriores faciant promissa Spiritus sancti. Vincenti ait dabo manna absconditum. Si volueritis et audieritis me: bona terrae comedetis. Orietur vobis pro spina pulcherrima rosa: et pro tribulo candidissimum lilium. Magna sunt haec: dulcia et consolatoria cupientibus proficere.

Non ergo te conturbet homo Dei: non te deiciat multitudo vitiorum. Crede Deo et spera in eo: et eris melior victor quam fuisti. Dominus pugnabit pro te: et tu tacebis. Intellegisne hoc? Do-

minus ipse dabit fortitudinem ut resistas irae, pigritiam excutias, et concupiscenti animo non consentias; et tu tacebis: quia tibi hanc potentiam non ascribes, te propter hoc non elevabis; sed Deo totum pure tribuas: qui astitit a dextris pauperis: etiam quantum vales hominibus absconde: et nihil aliud quam infirmum et inopem te confitere. Si quando insurrexerit contrarius tibi et dixerit quod non libenter audis; esto patiens et tace: illatis malis Dominus respondebit. Iustus enim Dominus: inultum non patietur abire quodcumque nocivum verbum. Quid tibi nocere potest alterius malitia; si contra te inflatur si detrahit: si obiurgat? Se ipsum magis prodit: quia bonus non est. Nam si tu bonus fueris et in patientia manseris; nil mali tibi intulit: sed potius meritum tuum auxit. Tu clarior ex obprobrio coram sapientibus: tu probatior ex virtute patientiae. Nemini nocet pravitas alterius: neminem laedit verbum contumeliosum, quamdiu ipse pius et immotus fuerit. Omnis homo qualis interius est: talis ei exterior adversitas erit. Quia si tu bonus simplex ac rectus ac Deum timens probaris; nemo tibi bonitatem iustitiam et pacem tuam potest auferre: nisi eam voluntarie reliqueris. Non est magna patientia: quam parva res pertur-

bat. Disce ad minus tacere ad iniuriam: quia prudentis est tacere in tempore malo. Qui vincere desiderat: victum se tradat. Cogita de corona non de iniuria; et quomodo possis alium sanare: non quid possis e contrario quasi zelo iustitiae motus respondere. Si ille non ignoscit tu ignosce; quia ut frequenter maiorem habet culpam qui alteri irascitur: quam qui iratum patitur. Miserorum proprium est conqueri; et impatientium citius commoveri: et causas aliis imponere. Tu ergo esto libenter reus ut fias ante Deum innocens; tu primo a te ipso incipe: et sic poteris etiam alium sanare.

Audiat tamen qui zelum videtur habere adversus aliorum defectus: qui indignatur si quid contra iustitiam agitur. Quam recte et prudenter ageres, si zelum tuum etiam contra tuam commotionem exerceres: et quod in alio reprehendis, prius in te emendares. Cum ergo aliorum culpis irasceris; quid iuvat de oculo fratris tui festucam tollere: et tuae impatientiae motus non cohibere? An tibi videtur non esse festuca; sed potius trabs illius culpa? Vide ne forte ex tuo iudicio trabem suspiciose reputes: quod coram Deo vix festuca habetur.

Non fidas nimis proprio iudicio: quoniam homo es et non Deus. Sive tamen

magnum sive parvum fuerit; utilius semper te ipsum consideras: quia et tu peccator es et curatione indiges. In quo ergo alium iudicas: te ipsum condemnas cum eadem facis. Quid enim mihi prodest si aliquem verbis meis sanavero; et in propriis passionibus mansero? Bene illi cui malitia mea cedit in bonum: sed vae mihi propriae salutis interemptori. Non est indicium mansueti cordis inconsiderate alium corripere, aut in correptione modum transire; vel non posse motum invectionis differre: donec ira in mansuetudinem, et zelus amarus redeat in dulcedinem. Forsitan tunc videbis non esse tantae culpae reum quem reprehenderas; ac etiam magis excusabis: super quo prius subito indignabaris. Sed et tuae malitiae imputabis non incongrue quod tantillum non potuisti iniuriae perferre: lugebis quoque plus iniustam correptionem quam illius culpam.

Pudeat igitur te nondum didicisse parvos fratris defectus tolerare: qui cotidie infirmitatem propriam ab aliis desideras portari. Cur ergo eandem misericordiam non exhibes alteri; quam optas fieri tibi? Revertere ad temet ipsum et pertimesce: ne gravius deliquisti indignando et male ferendo quam frater tuus peccando. Ille forte casum suum mox ut

agnovit flevit et de cetero cavere proposuit: tu vero impatiens et incompassivus peccatum tuum nec inspexisti nec flevisti. Adhuc ille satis bene in corde suo per amorem tecum stat et nihil mali de te aestimat; sed se magis humiliat: et te super se iustificat. Videas ergo ne ille qui videtur peccator in regno Dei te praecedat; et tu cum iustitiae praesumptione similis fias superbo Pharisaeo: qui reprobatus est a Domino propter suam superbiam adversus publicani humilitatem.

Ecce iam aliqualiter audisti carissime quomodo te ipsum debeas vincere: et zelum contra propria vitia exercere. Studeas ergo magis ac magis proficere: et semper aliquid vitiosae consuetudinis amputare. Sicut neglegentia vitia nutrire solet et virtutes amittere: ita diligentia quaelibet inveterata mala evertit et expugnat. Nam et si labor est in principio pugnae; tamen cum videris paulatim hostes ruere: consolaberis de prospero fine. Impedit nos valde: quia non audemus violentiam inferre naturae.

O quantos labores faciunt homines pro terrenis lucrandis: et nos pro aeternis bonis marcescimus. Nauta petit mare: mercator circuit regiones; miles fert arma bellica: rusticus vomere scindit

arva. Et sine labore non queunt divitias et honores optinere. Vt quid ergo nos virtutes sine magna sollicitudine adipisci credimus?

Hodie aliquid inchoare: et cras modicum addere; et sic diebus singulis virtutem virtuti: propositum proposito iungere; perficit hominem virtuosum: devotum purum sanctum et religiosum, Deo carum et hominibus gratiosum. Hoc ordine promeretur homo nomen novum in calculo clausum: quia calcatis vitiis efficitur candidus interius; et saepius fruitur consolationibus supernae dulcedinis: quae ignotae manent carnalibus et tepidis.

Ruminemus igitur sedula mente praesentem versiculum adversus detestabilem desidiam; ad igniendum nos et fratres nostros in amorem spiritualis processus: et ut vitia nostra curentur et donationes caelestium virtutum in nobis augeantur. Neque enim fraudabit a desiderio suo fideles certatores Spiritus sanctus: qui ut viriliter decertarent hortatoria voce insonuit dicens. Vincenti dabo manna absconditum.

INCIPIT EPISTVLA DE CVSTODIA HABENDA AD SE IPSVM.

De custodia sui ipsius habenda.

FRater mi in Christo dilecte videas quomodo caute ambules: quoniam dies mali sunt. Magna cautela est servo Dei habenda in omnibus verbis et operibus suis. Nam qui non est praevisus in rebus suis: aut cito laedit aut laeditur. Et magnum damnum sentiet in fine: quisquis in principio fuerit neglegens aut praeceps. Diu perpendendum est antequam fiat aliquid: et saepius recurrendum est ad cordis habitaculum; ne homo sit absque consilio: sicut gens prava et exasperans quae non direxit ad Deum cor suum. Igitur praecedat oculus tuus omnia opera tua: et omnia age cum providentia. Nec incedas per aliena facta te neglecto; quia nemo illo sapientior est: cuius anima sua semper in manibus eius est. Non habet homo cariorem thesaurum nec meliorem substantiam super terram si bene cogitaverit: quam animam suam. Debet igitur vigilare et semper esse in custodia animae suae: quia nihil comparari potest saluti eius. Salus eius consistit in veris virtutibus. Vera autem virtus odit et ab-

ominatur omne vitium. Quanto quis nititur contra vitia: tanto magis accedit ad virtutes. Quanto virtus amplius placet: tanto plus detestatur eius contrarium.

Cognitio vitiorum multum prodest ad superandum vitia. Plures non cognoscunt in veritate proprios defectus: et quidam quamvis sciunt non satis ponderant: aut si ponderant cito oculos avertunt et obliviscuntur quod tolerant. Non est ita faciendum carissime frater; sed resistendum est semper malitiae et iniquitati: et remedium inquirendum et auxilium a Deo flagitandum. Maxime autem est obviandum motibus passionum in principio pugnae; quia si pugna creverit infirmus homo ubi erit? Ex parva re fit saepe gravis inquietudo; et ex verbo uno nascuntur multa verba: et de modico risu scaturit saepe grandis dissolutio. Parva contumelia generat stultis et inconsideratis hominibus difficilem exitum et profundum vulnus.

Bene ergo et prudenter agit qui omnibus neglectis se custodit: iudicat et ordinat. Tanto minus potest unusquisque providere sibi: quanto pronior est ad considerandum alios.

Desiderans habere pacem: debet habitare in Sion. Hoc est utile homini qui non invenit requiem in hoc saeculo ut

confugiat ad Dominum; et cupiat cito dissolvi et esse cum Christo: quia non est alius qui pro nobis pugnet nisi ipse qui fecit nos. Si sentis insurgere vitia; oppone remedia quae scis tibi esse utilia: et quae audisti ab aliis cogita frequenter si tibi deserviunt. Cotidianum bellum gerendum est: quoniam temptamur cotidie. Nec est victus: qui vitiosam consuetudinem saepe rebellare sentit. Dolere tamen debet quia adhuc in eo malum vivit: et nondum perfecte sibi mortuus est. Accipienda est semper nova fiducia: licet saepe deiciatur homo.

In speciali proponendum est et contra illa vitia fortius: quae magis molestant et frequentius adveniunt. Aliquando ira aliquando superbia, aliquando concupiscentia cor hominis tribulatur et vehementer inflammatur. Sed scuto orationis aut gemitu cordis aut invocatione sancti nominis Iesu est occurrendum: et in caelum respiciendum unde veniet omne auxilium. Et quandoque sic oret vel consimiliter. O bone Iesu: succurre mihi modo. Eia Domine Deus adiuva me. Quid ego miser agam sine te, quid incipiam et quomodo finiam Deus meus? Melius nosti quid tibi sit necessarium magis; quia et hoc cotidiana docet infestatio: et qualiter evades docet et do-

cebit Spiritus sancti unctio. Ibi igitur quaere auxilium et consilium: et ab eo postula cordis tui refrigerium.

Considera te ipsum quid quaeris in operibus tuis: quid diligis, et quid non diligis. Secundum desideria sua: fit homo stabilis aut vagus. Qui multum concupiscit et multa habere vult: quomodo in se manebit? Dispergitur in omnem ventum caeli: et capitur laqueo desiderii terreni. Parva res est saepe propter quam adipiscendam generatur homini perplexitas magna. Sed qui omnia a se expellit permittens unumquodque stare sicut invenit: bene in pace erit. Qui vero multis se ingerit ac multa ordinat et regit; iste se ipsum laedit et perdit. Et quia magister vult esse in rebus alienis: non est mirum si nescit esse discipulus in suis. O quanta adhuc discere habet quae non videt. Quantum illi adhuc deficit: et o quam longe stat. Quid ergo vult se intermittere de aliis; et quae emendare non potest? Aut cur se implicat talibus quae ad ipsum non pertinent? Quid pertinet ad me? inquis. Vt tantum cogites de te: et aliud quodcumque fuerit proicias procul a te. In ista cogitatione invenies te: et custodies et proficies maxime. Eris saepius liber a suspicatione et indignatione. Pa-

rum curabis de exteriorum occupatione et gubernatione eorum quae fiunt in domo. Dilecte frater Dominus custodiat te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

INCIPIT EPISTVLA PRO CONFORTATIONE CVIVSDAM TEMPTATI.

SVscipiamus carissime de manu Dei quicquid voluerit super nos venire Deus. Nihil enim sine iusta et certa causa agitur in terris. Et ideo curemus nos Deo subicere cor nostrum et sensum nostrum: ut respiciens humilitatem et patientiam nostram bene disponat desiderium nostrum. Inclinemus nos sub sancta et gloriosa maiestate eius, quia pulvis sumus: et cogitemus quam magnum et dignum sit ut recogitet de nobis aliquando Deus. Ex hac humili aestimatione sensus nostri et accusatione culparum nostrarum; confessioneque iusti iudicii Dei quod ut frequenter occultum, semper autem rectum est: apprehendamus spem et confidentiam ad ipsum et oremus largiter; atque ab aliis etiam intime flagitemus orationes: quatenus sua maxima pietas nostram miseriam et tribulationem tantarum temptationum immutare dignetur. Nec ideo diffidamus

de nobis quia multa contraria sentimus et patimur: et saepius quam vellemus et gravius quam alii temptamur, vel quod inconstantes sumus et tam parum laborare possumus; seu quod totiens cadimus et tarde resurgimus, aut quod tam indevoti et aridi invenimur: et parvum appetitum ad virtutes et at Deum sentimus. Omnia ista solent bonis accidere: et saepissime devotissimi talia sunt experti.

Cum ergo taliter nos affligi senserimus inter tristitias totidem: Domino humiliter dicamus. Domine Deus si dignus non sum nec tibi placet ut liberer a pressura cordis mei; saltem hoc mihi largiri digneris ut patiens sim: et non murmurem contra virgam tuam qua me percutis. Memor etenim bene sum quid canitur in ecclesia tua. Tunsionibus pressuris expoliti lapides: et quia illic introducitur omnis qui pro Christi nomine hic in mundo premitur. Propter quod peto; ut quacumque pro culpa ista patior ad meam purgationem semper pervenire facias: et pro signo clementiae, non reprobationis furore capienda esse doceas.

Debemus ergo sic nos Domino integro affectu resignare: et plus eius bonitati confidere quam audemus postulare. Eius creaturae sumus: et ipsi cura est de no-

bis. Qui vocavit nos ipse adiuvabit nos et custodiet nos a temptatione hac in aeternum; ut non velimus cum hoc mundo gaudere: neque latam viam quam multi tenent denuo ambulare.

Admoneo te attende scripturas sanctas. Sequi vis Christum; an mundum istum? Credis apostolo an magis philosopho? Christus dicit. Intrate per angustam portam: quae ducit ad vitam. Et iterum. Tollite iugum meum super vos: et discite a me quia mitis sum et humilis corde. Dicit apostolus. Nolite conformari huic saeculo: et si secundum carnem vixeritis moriemini. Nemo vos seducat inanibus verbis. Quicumque sunt Christi: carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Ego Christo confixus sum cruci. Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Mihi mundus crucifixus est: et ego mundo. Omnia arbitror ut stercora: ut Christum lucrifaciam. Ista sunt verba apostolica: sed apud philosophos et saeculi prudentes talia non invenies. Et quamvis aliqui gentiles contemptum divitiarum laudabant et voluptates spernebant et eorum doctrinam multi hodie commendant; de Christo tamen nihil sciebant, nec aeternae vitae amore id agebant: sed evanuerunt in cogitationibus suis. Et omnes ni fallor

homines cupiunt esse cum Christo et ad populum eius pertinere: sed pauci volunt sequi vitam Christi. Iterum dicunt se diabolum odire; et eius vestigia nolle sequi: sed vita paucorum continentium se a saecularibus actibus carnalibusque desideriis ostendit quia multi sunt ex parte eius. Opera probant cuius servus quis fuerit.

Ait ergo Christus. Qui sequitur me non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitae. In mundum hunc ego veni ut qui non vident videant: et qui vident caeci fiant. Ac si diceret. Ego humilis et pauper in hoc mundo apparui hominibus ut exemplo meo efficiantur simplices et humiles: et intellegant opera divina et caelestia miracula ad credendum mihi. Et qui se ipsos peccatores et despectos et quodammodo caecos et inscios cognoverint: per gratiam meam illuminari digni erunt, sicque capiant devota humilitate; quod superbi et apud se sapientes nequaquam intellegere queunt: atque idcirco in caecitate cordis et stulta opinione manent; aestimantes suam doctrinam certiorem, meam autem dubiosam et mundo exitialem. Sicut olim Iudaei Christum praesentem in carne contemnebant: sic modo plures carnales eum contemptui habent et in caecitate pro dolor per-

severant. Malunt potius credere sibi quam evangelio: et carni magis servire quam Deo. Atque ideo longos optant dies et voluptuosos super terram; caelum autem respicere neglegunt: et quam velociter tollentur ex hac vita non attendunt.

Haec si cogitas nimirum senties melius esse sequi humilem Deum crucifixum et passum pro nobis: et merito debere nos pati cum illo et relinqui a parentibus et amicis in hoc mundo.

Mane igitur apud eum qui te vocavit et ne discedas ab amore eius: sed ascende arborem crucis ut inde videas Iesum ambulantem, et viam ad aeternam vitam praeparantem. Haec est via ait propheta: ambulate in ea. Via crucis vita nostra; via electorum, via paucorum: via amara, via vitae et salutis: via brevis; via directa, via laboris: via perfectionis. Via inquam crucis est: sed ducit ad gloriam, ad latitudinem, ad regnum caelorum; ad multa milia et frequentiam angelorum, ad dulcedinem mirabilem et interminabilem: ad longitudinem dierum in saeculum saeculi, ad desideratum finem omnium fruitionum et appetituum cordium; ad requiem et pacem securissimam: ad iucunditatem et exultationem amoenissimam. Quae brevi quodam versiculo qui cantatur in festo sanctae crucis pulchre tan-

guntur. Servi crucis crucem laudent: qui per crucem sibi gaudent vitae dari munera. Quia ergo vita Christi crux fuit debet vita Christiani etiam crux esse. Et multo magis vita monachorum clericorum: et omnium religiosorum in cruce erit. Extra crucem non est salus: praeter crucem non venitur ad regnum Christi. Oportebat pati Christum et resurgere a mortuis: et ita intrare in gloriam suam. Si aliam viam quaerimus: erramus et in perditionem ducimur. Et qui crucem fugere cupimus: in medium lacus ardentis picis et sulphuris incurremus. Crux nostra aeterno cruciatui comparata est delectabilissima. Labor noster perpetua requie donanda: levissimus est. Frangere voluntatem propriam crux est, et forte qua maior vix est: sed in inferno quis umquam vel in minimo sua voluntate utitur; cum semper quod nolit pati cogatur: quod voluerit numquam accipiat? Fili inquit recordare quia recepisti bona in vita tua: et Lazarus similiter mala. Comedisti bibisti: et saturatus es nimis. Meliora et delicatiora elegisti tibi vestimenta: et ornatus es. Risisti cantasti saltasti prae laetitia; nec prohibuisti cor tuum a voluptatibus: sed quodcumque libuit sine contradictione implesti. Et haec existimasti partem tuam

et regnum tuum et gloriam tuam: nec de Lazaro quicquam cogitasti, quantum egeret, quantum pateretur, quantum infirmaretur. Recordare ergo fili quia recepisti bona in vita tua: et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu vero cruciaris. Ille dum viveret crucem habuit et ad modicum spatium se sustinuit: tu dum viveres caelum tuum in terra habuisti et libenter vitam in deliciis protraxisses; sed nunc ille nec poenam corporis nec animae patitur, sed in requie beata laetatur: tu vero et modo cruciatum in anima habes, et postea simul in corpore et anima torquendus damnaberis.

Haec meditare inter temptationes tuas: et Domino aspirante cessabit earum impetus. Nam solet ardor ardore expelli: et labor labore graviore minui. Sta ergo in loco isto quem elegisti; et eleva patientiae clipeum contra ictus temptationum: mori eligens magis quam cedere antiqui hostis vexationibus. Qui vicerit ait Spiritus sanctus faciam illum columnam in paradiso Dei mei; et scribam super eum nomen Patris mei et nomen civitatis novae Ierusalem. Insuper sanctorum exempla intuere: et eorum suffragia iugiter quaere. Memento quantum sancti pro vita aeterna laboraverunt:

in qua nunc cum Christo sine fine regnantes gaudent. Quanto in mundo despectiores et pauperiores fuerunt: tanto nunc gloriosiores et nobiliores in caelo refulgent. Propter amorem igitur Christi et locus et status inferior semper plus placere debet et dulcescere cordi tuo: quia vanitas est in hac vita aliquid apparere. Quanto in inferiori et humiliori statu quis fuerit: tanto verius saepe bona agit et facilius habita custodit. Si alii nos praecedunt; quid ad nos? Sequamur Iesum in humilitate et simplicitate: et non curemus humanam vanitatem. Nos propter Christum stulti ignobiles et infirmi: nos propter illum libenter simus abiecti et novissimi reputati. Ego inquit sum vermis et non homo: obprobrium hominum et abiectio plebis. Quae maior gloria; quam cum Christo gloriari in cruce? Quae maior consolatio cordis: quam portare viventem imaginem Crucifixi? Confortare igitur et esto robustus: et ne timeas quia ego tecum sum ut liberem te dicit Dominus. Compassus tibi, locutus sum tamquam infirmus infirmo: ut pariter in Domino consolati per ipsum convalescamus in ipso. Amen.

INCIPIT EPISTVLA DE CONVERSIONE ET PERSEVERANTIA IN BONO PROPOSITO.

Dilecte frater intime congaudeo tibi; quia invenisti locum Deo serviendi. Sit Dominus noster exhinc benedictus: qui te vocare dignatus est ad suum servitium. Agnosco hanc vocationem donum Dei esse; quoniam non ex meritis tuis sed secundum misericordiam suam de saeculi vanitatibus te eripuit, et in electam societatem perduxit: ubi audires atque oculis etiam cerneres qualiter illi servires. Quam multi divites nobiles et potentes quam multi sapientes litterati et famosi adulescentes in hoc saeculo miserabiliter fluctuant; et abicere iugum diaboli a suis cervicibus non praevalent: nec illo spiritu adhuc moventur ut saeculo renuntient.

O vanitas vanitatum mundum diligere: et quae Dei sunt minus curare. Veniet tempus veniet cito tempus quando omnes saeculares et carnales delectationes simul finem habebunt; et tunc relinquent vel inviti praesens saeculum: qui modo voluntarii non sunt abrenuntiare pompis eius. Tu autem dilecte frater maiorem gratiam a Domino accepisti; quia inter tot sodales tuos a multis periculis cor-

poris et animae a laqueis diaboli es praeservatus: et in loco apto ad salvandam animam tuam constitutus. O quantas gratias Deo debes qui tibi regnum suum promerendum optulit: quod dives pecunia possidere non potest. Et quam miranda Dei gratia ut invalidus et imperitus sanctorum viam fortiter ambulet: quam robustus et doctus saepe subsequi vix valet.

Recogita ubinam sunt olim tecum studentes: ubi illi familiares socii cum quibus vivere et ludere secundum carnem dulce erat; cum quibus peregrinari in remotis partibus non amore Christi sed cupidine temporalis processus et lucri iucundum tibi videbatur: quam multi iam obierunt quam multi etiam vagi in saeculo remanserunt. Bene de ipsis cum sancto Moyse dicere potes: consideratis finibus eorum. Vtinam saperent et intellegerent: ac novissima providerent. Audisti alios Romam pergere et pro beneficiis laborare; alios Parisius residere et ad magisterium tendere: alios perceptis dignitatibus et praelaturis in medio populi exaltatos iam esse. Tu autem quid? Gratias Deo quia nihil horum attemptasti; immo et propter Christum iam veluti stercora ista mundana culmina et gaudia reputans: adiecisti etiam te ipsum contemnere loquens cum beato David. Elegi

abiectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Tu utique elegisti hodie Dominum Deum in patrem cui servire regnare est: pro quo humiliari in praesenti saeculo aeternae exaltationis tibi causa erit. Pro illo labor requies, penuria divitiae, contemptus honor, tribulatio consolatio, infirmitas robur, maeror gaudium tibi semper sit. Et quo purius et ardentius eum amaveris: eo viliora terrena omnia censebis.

Cave tamen carissime ne aliquando permittas maligni spiritus consilium intrare cor tuum: ut contristeris quia amicos et socios reliquisti; et quia ipsi iam magni domini effecti nuntiantur: et tu adhuc permanes in innocentia tua. Noli audire eos qui te in aliam viam conantur trahere: et dicunt. Vsquequo sic transies, et quare ad altioris status gradum non tendis; nec aliud opus inchoas unde aliis etiam aliquem fructum feras? Solet enim diabolus post aliqua tempora conversionis temptare servum Dei de praeteritis rebus in saeculo: de amicorum visitationibus, de multorum sociorum suorum conversationibus; quatinus talibus cogitationibus eum retrahere possit ad saeculum: aut impedire a profectu et ab oblivione mundanorum.

Sed crede expertis, nocet Dei servo memoria et retractatio vitae saecularis: qui nondum plene sibi est mortuus.

Nocet etiam persuasio blanda multorum loquentium de altiori gradu et meliori loco qui veluti sapientes prudenter consulere volunt: sed sensum Christi in abiectione et humilitate, in fuga mundi, et tenore artioris vitae non habent. Nam nudum Christum sequi aut recusant aut pigrescunt incipere: ne videantur proximis solacium subtrahere. Et quia gratiam et misericordiam non sentiunt quibus Deus sibi servientes et omnia relinquentes imbuit et confortat; durum sermonem hunc esse dicunt: omnibus amicis et rebus propriis abrenuntiare. Et sicut ipsi sapiunt: ita et aliis libenter persuadent.

Sed contra tales loquitur sententia Salvatoris. Cavete inquit ab hominibus. Multi enim sunt qui pulchris sermonibus et aptis ut ipsis videtur rationibus; viam levem et planam commendare sciunt, et hominem imperitum quandoque iustificant et laudant: atque per tales sermones bene proficientem et firmiter stantem quandoque vacillare faciunt. Verumtamen Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: quia iuxta iter sanctorum non ambulant neque loquuntur. Non

veniat anima mea in concilium eorum: et domus eorum longe sit a me.

Ideoque frater dilecte numquam tibi placeat talia audire: et multo minus credere velis. Sive enim diabolus instiget sive homines fabulentur: quod incepisti in eo permaneas obsecro. Recurre ad evangelium: et optimum audies remedium. Quid prodest homini si lucretur universum mundum; se ipsum autem perdat? Hoc apud te semper retine; et cuiusvis manus pugnaverit contra te: scuto evangelico utere.

Sed solent quidam homines sine spiritu et scientia Dei obicere quandoque saeculo renuntiantibus. Ergo qui in saeculo sunt peribunt; et vos soli salvi eritis? Aut non potest aliquis venire ad caelum; nisi ita vivat sicut vos vivitis? Quid fabulamini sic iniuste contra Deum et servos Dei? Neque hoc Christus dixit: neque servi eius ita locuti sunt. Bene facite iuste vivite et mandata Dei custodite: et nemo vobis salutem negabit. Ad haec illi iterato. Mandata inquiunt vellemus servare: sed non possumus. Si debemus lucrari victum et necessaria vitae: oportet nos saepe contraria agere. Qui cum saeculo conversamur; saecularia negotia quomodo cavebimus? Si ista perfecte consideratis et pericula atque fallacias mundi

non ignoratis; quid ergo obloquimini quia servi Dei mundum fugiunt, et monasteria aut congregationes devotorum intrant, ut Deo sine tali impedimento serviant? Si imitari non vultis aut non valetis: ad minus congaudere et adiuvare bonos pro vestra salute deberetis. Sed non plus frater de istis: quia nec taliter loquentes excusationem habent de peccatis suis.

Constanter igitur age; Christus qui tibi incipere donavit: ipse perficiet consolidabitque in finem propositum tuum. Ecce tempus breve mors incerta: omnia caduca et vana in mundo. Multi iam in sepulchris foetent qui diu se vivere aestimabant. Recesserunt a memoria hominum: qui in ore versabantur omnium. Colit mundus praesentes; absentes nescit: deserit morientes. Beatius ergo contemnere fallacem et sequi veritatem: quae nobis pariter concedat vitam aeternam. Amen.

INCIPIT EPISTVLA DE PIA MEMORIA DEFVNCTORVM.

MVltum iam temporis praeteriit dilecte frater quo decreveram aliquid pro pia memoria defunctorum caritati tuae insinuare; et maxime parentum nostrorum et amicorum specialium, om-

niumque devotorum quorum nomina Deus in libro vitae scribere dignetur, et inter sanctos suos collocare animas eorum: sicut et corpora eorum apud nos sepulta sunt in terris.

Nos debemus libenter pro eis et pro omnibus fidelibus defunctis orare: quia hoc opus est summae caritatis et misericordiae.

Sicut igitur nobis desideramus subveniri post mortem: ita et eis quantum melius possumus Domino opitulante laboremus subvenire. Qui enim pro animarum liberatione fidelis et sedulus fuerit: nimirum et sibi ipsi plurimum proficit cum pro talibus orans nequaquam se spoliat orationis fructu, et insuper sibi recordationem mortis adducit; et vix sine compunctionis gratia ad solita redit, sciens quia omnes viam universae carnis ingressuri sumus: et quod illi iam expleverunt certissime sibi constat futurum.

Oremus igitur pro caris nostris, quia post modicum eos sequemur: et cum melius habuerint omnino in eadem necessitate recordabuntur nostri. Non sit fides nostra ore tenus neque quae in facie sunt respiciamus: sed dilectionem faciamus sive praesentes sive absentes corporaliter fuerimus. Caritas enim numquam excidit; et qui se in veritate di-

ligunt: se ipsos oblivisci non poterunt. In necessitate probatur amicus fidelis. Etenim impium et crudele nimis, si videas fratrem tuum aut amicum cordis tui carceri traditum vel flammis iniectum, nec moveris ad fletum; et cum manum porrigere possis nihil agis caritatis: ac etiam si loqui aliquid pro eius quiveris liberatione, clauso pertranseas ore.

O fidelem Samaritanum qui viso homine vulnerato a latronibus et expoliato: misericordia motus est. Heu heu pincernarum magistro qui oblitus est Ioseph sui interpretis: cum de carcere esset eductus. Sic timeo quod multotiens contingit cum aliquis amicorum obierit et pro se instanter orari petierit ac fidei viventium se commendaverit: quod nonnumquam oblivionem accipit aut parvam aut tardam sentit advenire expiationis hostiam, quam sperasset.

Propter quod dilectissime me ipsum et te pariter admoneo: ut pietatis oculum frequenter dirigamus ad memoriam defunctorum; et quicquid pro eorum absolutione noverimus prodesse devota exequamur festinatione, ponderantes quam gravi tenentur tormento: et quia nisi purgati fuerint ad requiem transire non possunt. Eorum etenim consolatio et liberatio: maxime in Christi meritis et sanc-

torum suffragiis et fidelium constat oblationibus.

Simus ergo ferventes ad solvenda beneficia salutaria: et devote oremus pro eis generaliter et privatim. Attente vigilias legamus, libenter et saepius ad missam ministremus; et cum sacerdote vota labiorum nostrorum in conspectu summi et veri sacerdotis offeramus: qui est hostia dignissima ad exhaurienda omnium peccata. In illa hora dum Christus in altari inter manus sacerdotis Deo Patri pro salute vivorum et defunctorum offertur; te ipsum cura cum omnibus tibi in orationibus commendatis offerre in acquisitionem et possessionem perpetuae salutis: et ut omnes sint participes huius pretiosissimi sacrificii quod immolatum semel in cruce sufficiens est pretium pro peccatis totius saeculi, habeas tunc specialem memoriam eorum qui tibi sunt commendati; et recita nomina eorum in praesentia Christi: et reverenter ac devote saepius flecte genua cordis tui ubi consistis ante fontem miserationum Domini.

Quotienscumque etiam te ad perceptionem corporis Christi praeparas et perceptum tecum habes, esto quaeso memor fidelium defunctorum et implora tanto ardentius misericordiam eius, quanto cer-

tius retines in te pignus aeternae redemptionis. Saepe de mane saepe de vespere, sed et in labore et tempore scripturae carissimorum tuorum recogita obitum: quomodo habeant, et quomodo aliquid facias pro eis quod ipsis potest prodesse et tibi nihil obesse.

Antequam comedam suspiro ait sanctus Iob. Ex quo verbo pietatis tibi et compassionis innuitur opus: ut numquam cibum corporalem sumas nisi prius fidelibus defunctis aliquam spiritalem eleemosynam mittas. Ego novi aliquorum talem esse consuetudinem: qui signo refectorii facto se expediunt et vacant orationi ad refrigerium animarum fidelium: quorum eleemosynis sustentantur.

EXPLICIVNT EPISTVLAE.

EPILEGOMENA.

Huius voluminis praeter opinionem tardati causa inexpectatae potissimum difficultates fuerunt in recensendis canticis ortae, de quibus infra fusius disseremus. Multum quoque operae consumendum nobis fuit in genuinis codicibus conferendis, describendis, aestimandis, in adulterinis vero, quos post actos demum labores nulli nobis usui fore intelleximus, magnam temporis iacturam fecimus. Quae autem omnino artem criticam factitantibus nobis subsidia praesto fuerint, hic indicat

A. LITTERARVM CONSPECTVS.

I. CODICES MANV SCRIPTI:

1. Descripti in Vol. I: *E2*[1] p. 350[2], *K2* p. 359, *K5* p. 360 sq., *L* p. 362 sqq., *U* p. 374 sq., *W* p. 377 sqq.; in

[1] Iisdem siglis uti pergam, quibus usus sum in voluminibus superioribus; vide Vol. I p. 347–381, 465—467, Vol. V p. 413. Reliqua infra indicabuntur.

[2] Ad codicis interim a me ipso conlati descriptionem corrigens supplensque haec addo: Fol. 224[r] legendum est: Detur domino nychasio kuibber, fol. 233[r]: in eadem domo, fol. 33[v]: ad quemdam . . . silentij Capitulum primum. [C]Arissime. Fol. 1—56[r] scripta sunt litteris grandibus

Vol. III: *A2* p. 403—414, ad quos in hoc volumine accesserunt, quos iam siglis praepositis enumeraturus sum, hi:

A 1983 = Codex Augustobonensis 1983, id est „de la bibliothèque de la ville de Troyes", descriptus in „Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements. Tome second. Paris. Imprimerie impériale M DCCC LV" p. 813, chartaceus, foliorum 278, 13,4 × 10,2 cm, miscellaneus, saeculi XV—XVI. Inter folia 270 et 271 duo folia vacua non sunt numerata.

Fol. 1r et 228r: „Liber sancte marie clarevallis"[1]. Fol. 226v, quo prior codicis manus desinit, librarius subscripsit: „FF Gerard9 de Gāuo"[2], quod idem nomen per litteras FGDG compendiose scriptum fol. 83r, 135v, 185v, 210r repetitum est, fol. 168r: littera F dempta, fol. 104v sic scriptum legitur: G.D.G.P.[3] Hunc oriundum fuisse e Belgio probatur etiam fol. 240v his verbis: „Nota. Ghenuechte deruen. es leeren steruen | So wie sterft eer hi sterft | hi sterft sachte als hi sterft." Fol. 268r: „Dispositorium moriendi venerabilis patris Johannis nyder sacre theologie professoris ordinis fratrum predicatorum explicit feliciter." Fol. 277v: „ymnus consolatorius", quem supra edidi p. 283—287, spatii explendi causa videtur adiectus esse.

B = Codex primo Bethlehemensis, nunc bibliothecae domus presbyterorum Gaesdoncanae, foliorum praeter duo post primum inserta chartacea, post quae numeratio incipit, 146 membranaceorum, 12,2 × 8,2 cm. Scidulae foliorum exectorum hae extant: duae chartaceae inter fol. 2/3, membranacea una inter fol. 105/106, tres inter fol. 139/140. Inter fol. 140/141 unum vel plura folia intercidisse manifestum est. Vacua sunt folium primum non numeratum, pagina postica folii alterius chartacei, fol. 1r, fol. 142—145. Fasciculi incipiunt a folio priore chartaceo, a fol. 3, 11, 19, 27, 35, 41, 49, 57, 65, 73, 81, 89, 97, 105, 116, 124, 132, 140, qui fasciculi omnes una plagula folii primi et ultimi membranacea comprehenduntur.

In pagina antica prioris folii chartacei scriptum est: Ad usum | fratris Gerardi Arnoldi | à | Coerbeck. ex Dotinchem | Canonici in Gaesdonq | 1667 |; in postica eiusdem folii: vnusquisque pro qualitate peccati luet poenas. Pe(Nch?)

---

et elegantibus eadem manu, fol. 57—308 diversis aliis manibus; fol. 206—222 flexa (⁀) adhibita est. Fol. 235r: *(m)* Gesta beati Johannis euangeliste ab ascensione domini vsque ad eius sacram dormitionem (cfr. Hauck, Realencyclopädie, 3. Aufl., I 667 sq., Harnack, Geschichte der altchristlichen Litteratur bis Eusebius, II 1, 541—543), fol. 284r: *(m)* Explicit tractatus prochori discipuli sancti Johannis apostoli et euangeliste de gestis eiusdem post ascensionem domini. Cauendus docetur leucius mendax qui dicit apostolos docuisse duo principia boni scilicet et mali. *(a)* MJlito seruus christi episcopus laodicie . . . .

[1] Hodie Clairvaux.

[2] = Frater Gerardus de Gandavo.

[3] P = presbyter?

Fol. 1v: Liber Monasterij Bethlehemensis prope dotinchem canonicorum regularium. in quo habentur | Liber exhortatorius ad vitam spiritualem | Ammoniciones ad interna trahentes | Liber internae consolacionis | Tractatus de sacramento eukaristie. | Meditaciones beati augustini | Oraciones beati augustini | Iubilus beati Bernardi Vita et passio Christi sub compendio | Speculum Beati bernardi | Quedam oraciones | IHESVS MARIA |

Fol. 2r: H . . . . s g . . . . . sis alias D . . p . ck[1], post quas vocabulorum reliquias haec leguntur alia manu scripta: Time Deum et recede a malo | Timor Domini est principio (sic) sapientia (sic) | Memento homo quod | cinus (sic) es et | in ciner em re|uerte ris|, deinde iterum alia manu: Libellus hic manuscriptus | Anno 1428 pertinet ad Monasterium Bethlemen|se prope Dotinchem Canoni|corum Regularium. | Scripsit frater Ro: de Millingen. |

Fol. 2v: „Scriptus Canonicorum Regularium Monasterij Bethlem. prope Dotinchem", tum alia manu: „Iste liber pertinet fratribus | in Embrica:", rursus alia manu: „Modo | Canonicis in Gaesdonck" , denique alia manu: „Orate pro R. D. P. Bernardo | Taunschliffero Rectore domus | S: Gregorij Embricae. | qui hunc devotionis libellum dedit | F: Danieli Keteler filio suo | Spirituali et baptismali. 28 Aprilis | A. 1.6.5.6. |"

Fol. 3r: *(m)* Incipiunt capitula Libri sequentis | D*(a)*E imitacione christi et contemptu omnium vanitatum | mundi *(m)* Primum | . . . fol. 3v . . . : *(a)* totius vite nostre. *(m)* xxv. | *(m)* Incipit liber exhortatorius ad vitam spiritualem | De imitacione christi et contemptu omnium vanitatum | mundi capitulum primum | Q*(a)*vi sequitur me . . ., fol. 26v: inteluris. | Et sic est finis deo gracias. anno domini 1427 |

Fol. 27r: *(m)* Incipiunt capitula libri Sequentis | D*(a)*E interna conuersacione. *(m)* Primum | . . . . *(a)* sancte crucis *(m)* ·xii· | Expliciunt capitula. |

Fol. 27v: *(m)* Incipiunt ammoniciones ad interna trahentes. De interna conuersacione Capitulum primum | R*(a)*Egnum dei intra vos est . . . fol. 40v: in regnum dei | Explicit liber iste anno 1427 in crastino sancte elizabet |

Fol. 41r: *(m)* Incipiunt capitula Libri sequentis | D*(a)*E interna christi locucione ad animam fidelem *(m)* Primum | *(a)* . . . in solo deo est figenda *(m)* lix | Expliciunt capitula | Incipit liber interne consolationis. | De interna christi locucione ad animam fidelem Capitulum primum | A*(a)*vdiam . . . fol. 92v: claritatis Amen | *(m)* Explicit liber interne consolacionis |

Fol. 93r: *(m)* Incipiunt capitula Libri fequentiS | ·Primum | C*(a)*vm quanta reuerencia . . . sacre fidei *(m)* ·xviii· | Expliciunt capitula. | Incipit deuota exhortacio ad sacram christi communionem Vox christi et dilecti. | V*(a)*Enite ad me omnes . . . fol. 113v: . . . ineffabilia dicenda. | Explicit

---

[1] Ad haec Victor Becker in scidula adnotavit: Duae lineae superiores alterius folii videntur mere exprimere nomen proprium alicuius personae privatae.

liber. Anno domini 1427. die crispini et crispiniani | *(m)* Incipiunt meditaciones beati augustini | D*(a)*omine deus meus da cordi meo te | desiderare. . . .

Fol. 123v: *(m)* Incipiunt oraciones beatissimi patris augustini ad excitandum mentem in deum. | S*(a)*pes mea christe deus. hominum tu dulcis amator . . . (Iam sequuntur usque ad fol. 131v novem precationes.)

Fol. 131v: *(m)* Incipit iubilus beati bernardi abbatis | I*(a)*hesu dulcis memoria. . . .

(Fol. 133r—135v aliquot precationes, in eis:)

Fol. 134v: *(m)* Oracio beati thome de Aquino | C*(a)*oncede michi queso omnipotens . . .

Fol. 135v: *(m)* Vita domini nostri ihesu christi sub compendio | S*(a)*vmmi patris vnigenitus eidem patri consubstancialis . . .

Fol. 138r: *(m)* Speculum beati bernardi abbatis | S*(a)*i quis emendacioris vite desiderio tactus . . . fol. 140r: . . . Et sic est finis. Est hoc | bernardi speculum velut vnctio nardi. | Explicit liber iste totalis. anno domini M°CCCC°XXVIII. 3° | die ianuarij. pertinens monasterio bethlehemensi prope | dotinchem canonicorum regularium. Oretur pro scriptore | frē Ro. de millingen (quattuor ultima vocabula alia manu in margine adscripta sunt).

Fol. 140v: *(m)* Bonum Notabile | Q*(a)*vidam religiosus desiderauit scire a deo quid esset ei magis (sic) beneplacitum in omnibus operibus . . . In animam tuam. et | [1] (fol. 141r) *(m)* C*(a)* Legitur de beato paulo apostolo quod semel venit in greciam . . .

Qui hymni fol. 141v codicis quasi agmen cogunt: „(A)ve mundi domina sola carens pari |“ et „O maria piissima stella maris clarissima [2]“ | alia manu conscripti sunt.

Duo addenda sunt: Primum, nomen Thomae a Kempis in codice non occurrere, alterum, in tractatibus De imitatione Christi flexam adhibitam esse eamque locis longe plurimis cum *A* consentientem.

Primus, quantum scio, de codice praeclarissimo, quem accurate pleneque de integro describere in rem esse censui, disputavit nescio quis in „Zugaben zur Deutschen Volkshalle No. 77 et 81 anni 1851 et No. 85 et 87 anni 1852, Köln, Ios. Bachem et Comp.“ Decem annis post nulla ratione viaque H[enricus]. S[choofs]. P[arochus]. eum adhibuit in „Thomae a Kempis de imitatione Christi libris quatuor . . . .“ Monasterii editis. Porro de eo egerunt *Becker* p. 212 sq., *Hirsche* II p. XXXI et LXXVIII, III p. 181—190, idem, De imit. Christi, editio altera, Berolini MDCCCXCI, p. XVII, Bernardus Hölscher in „Zeitschrift für vaterländische Geschichte und Alterthumskunde. 44. Band, 1. Abtheilung, 1886, p. 163—170, idem „Libri quatuor de

[1] Haec et sequentia inter se non cohaerent; cfr. supra p. 486.

[2] CHEV. 13213 hymni initium e „Ms. a. 1512: Gremaud“ petivit.

Imitatione Christi ad literam codicis Gaesdoncani 1427 . . . Monasterii, 1887“[1], *Puyol Descr.* p. 165—168, *Pohl* p. VII No. 2, idem Vol. I p. 385 not. 1.

B 1 = Codex bibliothecae regiae Berolinensis 425 theol. oct. 12, membranaceus, foliorum 88, 10 × 2 cm, saeculi XV, ex Valentini Rose coniectura olim Carthusiensium Sedinensium.

Fol. 1: *(m)* Speculum monachorum. PRimo considerare debes quare veneris.

Fol. 28r: Istud paruum et simplex exercitium sequens . . . . pro magna parte collectum est ex consuetudine humilis patris domini florencij et aliorum deuotorum; fol. 38r: Explicit exercitium quotidianum breue et vtile pro nouicijs instituendis ex deuotorum dictis copulatum etc.

Fol. 38v: Ex libello qui incipit beatus vir.

Fol. 41r: Sequuntur lxv articuli passionis domini per magistrum iordanum qui in sex ferijs diuidentur[2].

Fol. 56r: Item versus de sancta cruce.

Fol. 56v: *(m)* Incipit paruum alphabetum monachi[3] in schola dei.

Fol. 61r—84v: *(m)* Materie de quibus cogitabimus (singulis septimanae diebus).

Fol. 84v: *(m)* Speculum humilitatis[4].

B 190 = Codex Germanicus 190 bibliothecae regiae Berolinensis, membranaceus, foliorum 184 numeris signatorum ante duo non signata 15,1 × 10,5 cm, saeculi XV exeuntis[5], complurium manibus scriptus. Pallidiore atramento scripta sunt fol. 3v, 35r—38v, 72v—81v, 109r—110v, 137r—142v, 171v inde a versu decimo—184r.

Fol. 1r: „Ms. Germ. 8. no 190 Acc. 3363“; infra: „Hoffmann von Fallersleben. Leiden Erndtem[onat]. 1825.“

Continet cantica sacra Latina 85, Germanica sacra 105, profanum 1, sacra e Latinis Germanicisque vocabulis mixta 6, maximam partem cum notis musicis. Atque undesexaginta quidem canticis Germanicis loco notarum praepositi sunt versus primi canticorum profanorum, ad quorum modos sacra cantari solebant, quorumque initia in medium protulit *HOFFM. HB. II* p. 82—86. Idem codicem primus, quod sciam, descripsit l. l. I p. 110 sq., iterum in *BHF.*, p. 7 ibique p. 7—14 initia nonaginta quinque canticorum eius Germanicorum evulgavit; ipsorum canticorum quadraginta quattuor integra edidit in *HB. X.* De

---

[1] *Puyol Descr.* p. 167 inmeritis laudibus extulit editionem Hölscherianam, cuius cum verba haud pauca aut perperam lecta sint aut temere mutata, tum „Lectiones variantes“ mirum quantum erroribus scatent. Cfr. Vol. II p. 493 not. 1.

[2] Cfr. codex *Ml* fol. 172v—183r.

[3] Edidi Vol. III 317—322. Usus ⁊ et: in *A 2* et *B 1* fere consentit.

[4] Edidi Vol. I 560—563.

[5] HOFFM. IDI. p. 50 codicem medii saeculi XV esse dicit.

eodem codice egit *BAEUMK. N.* p. 167 sq. atque ex eo p. 190, 192, 196, 227, 231, 236, 244, 247–254, 287—326 tria cantica Latina, duodequinquaginta Germanica omniaque mixta cum notis musicis duarumque codicis paginarum litteris in lignum incisis edidit. Nec pauca ex eo *DREV. AH.* passim inseruit.

Auctores sex canticorum Germanicorum in codice nominatim proferuntur vel aliunde noti sunt hi[1]: Fol. 111v: „Ic heb gheiaecht mijn leuen lanc . . . Brugman“[2], fol. 115v: „Mjt vroechden laet ons singhen ende louen die triniteit. . . . Frater iohannes brugman“[3], quae tria vocabula manu antiqua addita sunt, fol. 119v: „Wt hartelike gheren. mit rechter vrolicheit“, quibus verbis alia manus atramento pallidiore haec adscripsit: „Dit liedekijn heeft ghemaect broeder willem van amersfoort. die vicarius der minre broederen. op sijn naem. wilhelmus“, fol. 153v: „dit liedekijn heeft gemaect bairt[4] suster die clusenarinne tvtrecht. | Dje werelt hielt mi in hair gewout“, fol. 107r et 146v: „Mj lust te louen hoghentlijc die reynicheit so pure“, quod idem canticum et Germanicum et Latine redditum habetur in codice bibliothecae regiae Bruxellensis 8849–8859 fol. 235, ubi Germanico superscripta sunt verba haec: „Idem canticum teuthonice ab eodem domino theoderico compositum“, id est a Theoderico Herxen († 1457), non a Theoderico de Gruter, quem Bäumker l. l. p. 296 auctorem eius dicit putari[5].

Quod canticum fol. 170r legitur: „Hoe lude so sanc die leerre al opter tynnen“ ad similitudinem factum est Henrici a Loufenberg cantilenae, quam ab his verbis incepisse veri simile est: „Hoe luyde soe sanc die wachter al op ter tynnen.“[6]

B 280 = Codex Germanicus 280 bibliothecae regiae Berolinensis, chartaceus, foliorum 180, 9,6 × 7 cm, saeculi XVI, complurium manibus iisque ex parte inhabilibus scriptus. Vacua sunt folia 2v, 3v—6r, 74v—77r, 88r—90v, 102r—106v, 114v, 134r—136r, 142v—148v, 176r—180v. Novi fasciculi ordiuntur a fol. 8, 15, 23, 30, 36, 45, 53, 61, 69, 81, 91, 99, 107, 115, 123, 137, 149, 157, 165, 173. Reliquiae folii evulsi extant ante fol. 1, 13, 30, fila fasciculi evulsi inter fol. 114 et 115. Inter fol. 10/11 et 39/40 singulae scidulae glutine insertae sunt non numeratae. Foliorum 128—133 paulo maiore charta alia manu exaratorum cum fol. 128r

---

[1] Cfr. *BAEUMK. N.* p. 159—161.

[2] Cfr. *MOLL* II p. 212 sqq.

[3] Ibidem p. 207 sqq.

[4] Id est: Bertha.

[5] In auctore erraverat *De Coussemaker* editionis Gallicae III p. 29–36, cuius errorem ibidem p. 76—78 sustulit G. H. M. Delprat et Dr. M. Schoengen in libro, qui inscribitur: Iacobus Traiecti alias de Voecht Narratio de inchoatione domus clericorum in Zwollis, Amsterdam 1908, p. XCIII et 57 (= Werken uitgegeven door het Historisch Genootschap [gevestigd te Utrecht] derde serie N° 13).

[6] Cfr. *BAEUMK. N.* p. 161 et 228 sq.

scriptura nonnulla parte valde confusa sit, illa folia antequam insuerentur usu diuturniore trita esse conicere licet.

Fol. 1r: „access. 892 | Dit bock hoert toe anna van collen der et fynt eer et verloeren w(ort) der sterft ouc wall eer hey kranck wort“

Codex continet cantica Latina 16, Germanica 60, e Latinis Germanicisque vocabulis mixta 7, quorum multa notis musicis, nonnulla designatione modorum, pauca lineis sine notis instructa sunt, reliqua omnibus his carent. Edita sunt nonnulla Latina cura *DREV*.

Bo = Codex universitatis Bonnensis 316 (169, a), foliorum praeter adglutinatum ducentesimum octavum membranaceum 238 chartaceorum, 14,2 × 10,1—10,4 cm, saeculo XV diversis manibus a foliis deinceps 1, 61, 78, 102, 150 . . . una cum novis fasciculis incipientibus exaratus, ab Antonio Klette in catalogi chirographorum in bibliotheca Bonnensi servatorum fasciculo III, Bonnae CIↃIↃCCCLX, tantummodo usque ad folium 141 plenius descriptus[1], miscellaneus, cuius tractatuum omissis nonnullis fragmentis excerptisque conspectus decurtatus hic est: fol. 1—54r: Soliloquium beati Augustini, fol. 54v—60r: Devotum exercitium copulatum ex meditationibus praecipue Heyderici episcopi, fol. 61—77r: Tractatus beati Augustini episcopi de visitationibus infirmorum, fol. 78r—93: Tractatus domini Iohannis de Indagine ordinis Carthusiensis de confortatione pusillanimorum editus ab eodem apud Erfordiam in domo Carthusiensi anno domini MCCCCºlVIII, fol. 94—99: Tractatus secundus de gaudio bono (sic) conscientiae. *Subscriptio:* Venerabilis pater Iohannes de Indagine Carthusiensis domus salvatoris prope Erfordiam in suburbio complevit istum tractatum utilem anno domini 1458 in die Theodori martyris, fol. 102–118, 118–141: Epistulae duae fratris Iohannis missae in Eemstein; ac prioris quidem missae Simoni nepoti subscriptio haec est: Completum in Daventria 1472 altero die post pentecostes per me Wolterum de Eyndovia, alterius missae nepoti fratri N. novicio in monasterio vallis amoris haec: Finitum Daventriae anno domini 1472 in profesto translationis sancti Martini per Wolterum Eyndoviae, fol. 142: „yn̄us petri damiani de gaudijs regni celorum sub nota pange ligua (sic) Ad perhennis vite fontem, fol. 144—149: proverbia, fol. 150—156: pulchra et moralis exposicio misse“, fol. 160—170: Epistola cuidam carthusiensi missa que est de viuis meditacionibus circa vitam domini Ihesu maxime circa finalem eius passionem, fol. 174–179r: Circa extremum iudicium, fol. 179v—199r: Hortulus rosarum, fol. 210—238: „Peniteas cito.“

Quibus fatis, quomodo, quando codex ad suos deinceps possessores devenerit, facilius est multis disceptare, quam

[1] Klette reliqua carptim perstringens absolvit his: „Quae superest huius voluminis pars inde a folio 142 usque ad finem diversissimi generis fragmenta, excerpta et versus continet quibus sigillatim (sic) recensendis supersedeo. E libris gymnasii Confluentini.“

certo demonstrare. Quare satis sit ad coniectandi praebendam materiam, quae huc pertineant, e codice referre. Sunt autem haec: In folio praefixo: „liber fratrum Canonicorum Regularium Jn Jnsula[1] in opposito valendar de prope confluenciam", fol. 1r: Societatis Iesu Confluencie, fol. 150r in summo margine: presentetur fratri johanni wees propter deum, fol. 209r: Iste liber pertinet woltero cyndouie Si quis inuenerit reddit ei pro amore dej, fol. 210r: wolterus eyndovie est pres: [byter?]

br = Codex bibliothecae regiae Bruxellensis 721 (4953), membranaceus, foliorum 203, 7,5 × 5 cm, saeculi XV.

In antica parte antici tegumenti typis descripta sunt haec: IHS MA ANNA D. B. W. 1569.

Fol. 1: „Ex libris Ioannis Morake .... kij. donatus a domino Henrico De .... ers hospite suo ... 3 aprilis" (pro litteris deleticiis puncta feci).

Fol. 100r precationi ab his verbis incipienti: „UIrgo maria mediatrix nostra Oro te mater sancta ut sicut deus pater secundum omnipotencie sue magnificenciam ...." superscripta sunt haec: „Les trois Aue maria qles (sic = queles) notre dame (sic) enseignat (sic) a Se mette[2] por (sic) auoir confort al heure del mort".

Fol. 105r: *(m)* Deuota salutacio ad cor beatissime virginis marie L*(a)*oquar ad cor tuum o maria ...[3]

Codex liber precum est magna ex parte versibus scriptarum, quem compositum fuisse in usum feminarum ex ipsis verbis earum patet velut 162r huius ad s. Caeciliam

---

[1] Hodie Niederwert. Monasterium fundatum est anno 1429, in congregationem Windeshemiensem contributum 1445, monialibus Cisterciensibus traditum 1580; cfr. K. Grube, Ioh. Busch (1881), Anlage I; Broweri et Masenii Metropolis ecclesiae Trevericae, ed. Chr. de Stramberg, 1855, II p. 239 sq. Eodem anno 1580 ab Iacobo III archiepiscopo Treverico et electore principe aliquot patres e societate Iesu ad erigendum collegium Confluentes arcessiti sunt; cfr. Metropolis l. l. p. 302 sq. et Alexander Dominicus, Geschichte des Coblenzer Gymnasiums, 1862, p. 5 sqq.

[2] Se mette est Sancta Mechtildis; cfr. Revelationes Gertrudianae ac Mechtildianae. II. Solesmensium O. S. B. monachorum cura et opera ... Pictavii .. Parisiis ... MDCCCLXXVII, ubi in Sanctae Mechtildis virginis O. S. B. Libro specialis gratiae part. I cap. XLVII p. 133 leguntur haec: De tribus *Ave Maria* dicendis, per quae possis gloriosam virginem Mariam habere praesentem in fine vitae tuae. Dum gloriosam Virginem Mariam oraret, ut in hora mortis suae sibi adesse dignaretur, respondit: „Hoc utique faciam: sed et tu quotidie tria *Ave Maria* mihi legas. Ad primum, ora ut sicut Deus Pater secundum omnipotentiae suae magnificentiam. ..."

[3] Cfr. codex *T 724* fol. 131v: *(m)* Iubilus beati bernardi Ad mellifluum cor beate marie. L*(a)*oquar ad cor tuum o maria ...

orationis: „Me ab hostibus tuere meique virgo miserere que omnibus pregrauata sum vicijs . . .“

br [1] = Codex bibliothecae regiae Bruxellensis 1469 (3075—83) foliorum 216 mixtim chartaceorum et membranaceorum, 14 × 6,7 cm, miscellaneus partim Flandrice, saeculi XV, Thomae a Kempis scriptorum continet fol. 124—128v „breue epythafium monachorum“, fol. 128v—130v Consolationem pauperum, fol. 140v De monastica vita, quod est de Imitatione Christi libri I capitulum XVII. Ceteros aliorum libellos, carmina, preces excerptaque qui cognoscere velit, adeat *van den Gheyn* II p. 369, cuius verbis respectu meae editionis addo fol. 100 legi „XV gaudia beate marie virginis. GAude virgo virginum mater ihesu christi“ et fol. 102r carminis „Aue pulcherrima regina“ stropham primam notis musicis instructam esse.

br [2] = Codex bibliothecae regiae Bruxellensis 2193 (11841—46) praeter foll. 1, 2, 192 membranacea chartaceus, foliorum 194, 21,5 × 14,5 cm, complurium manibus scriptus. Vacua sunt fol. 2v, 3r, 27, 28, 46, 86v—88v, 174r, 189—194. Scidulae foliorum exectorum restant singulae inter frontem libri et fol. 1, fol. 3/4, 7/8, 103/104, 164/165, 189/190, 191/192, tres inter fol. 116/117. Fasciculi incipiunt a fol. 4, 17, 29, 41, 53, 65, 77, 89, 108, 117, 129, 141, 153, 166, 178, 190. Signaturae, quas dicere consuevimus, sunt fol. 4—9: 1a—6a, fol. 17—22: 1b—6b, fol. 29—34 usque ad fol. 77—82, unde adhiberi desitae sunt: 1—6. Fol. 117—166 praeter numeros ordine notatos exhibentur vetustiores 1—49. Fol. 89—107 scripta sunt bipartito. In aversa parte tegumenti antici scriptum est: „. . . o̊ valde pro bono fratre . . . . . Thomas Kempis . . . .“, in quibus quas punctis notavi, litterae adeo deletae sunt, ut legi iam non possint.

Fol. 1r: *(m)* LIBER RUBEE UALLIS.

Fol. 184r: „Explicit de decem preceptis anno domini M CCCC XLI margarete virginis.“ Ex hac anni designatione et aliis quibusdam indiciis codicem in ipso monte s. Agnetis exaratum esse coniecerim.

Continentur in codice haec: Fol. 3v: Vita Thomae a Kempis [1] et in eundem Epitaphion [2]. Fol. 4—86r: Exceptis De imitatione libris I, II, III et tractatulo De bona pacifica vita omnes Thomae tractatus, quos in Vol. II ex *A*, atque Alphabetum monachi, quod in Vol. III p. 317—322 ex *A 2* edidi, et canticum „O dulcissime Iesu, qui“ supra p. 247 - 249 editum. Praeterea in altera codicis parte haec miscellanea: Sermo de melliflua passione domini nostri ihesu cristi, Stella clericorum [3], De VII sacramentis [4], De VII mortalibus peccatis, De decem preceptis, Dyalogus Malchi ad ihesum presbiterum.

---

[1] Edidit *Malou*, Recherches p. 388.

[2] Idem l. l. p. 389 non sine mendis.

[3] Cfr. van den Gheyn, Catalog. II p. 36 not. 1.

[4] Cfr. Fabricius Mansi, Bibl. lat. med. et inf. aet. t. III p. 139.

br^3 = Codex bibliothecae regiae Bruxellensis 2205 (21889), pluribus manibus exaratus, foliorum 179 numeratorum, non numeratorum 5 anticorum, unius postici, praeter folia 11, 13, 16, 18, 19, 21, 24, 26, 27, 29, 32, 34, 35, 37, 40, 42, 88, 97, 98, 107 membranacea chartaceorum, quorum vacua sunt 1^v, 70^v, 71, 72, 76^v—79, 14,8 × 7,1 cm. In folio altero antico scriptum legitur: „Frater Martinus heris me vtitur Gruenendael", sub quo manu recenti: „21889 XVIe s. Vente van Olstein. Prix: 16 fcs. 50", in fol. 5^v antico: „Ad vsum fratris Martinj de Jscha superiorj", fol. 1^r: „Data inclusionis monasterij viridis uallis que fuit ipso die Innocentum Anno 1447.

Infantum[1] festo clausure singula presto[2]
In viridi[3] ualle Bont curante Iohanne. [1442]
Pape legato Bont expediente[3] wilhelmo.
Fit viridi[3] ualle clausura Io Bont satagente. [1447]

Data de incendio eiusdem monasterij quod fuit vltima aprilis Anno domini 1435.

Claustrum torruit hoc lux dat[3] finalis[4] aprilis. [1435]

fol. 2 et 3: nomina sanctorum et dies festi ad menses digesta, fol. 4 et 5^r: tabula versuum artificiosissimorum, qui „valent ad ostendendum quo mense et quota die mensis erit pascha, siue sit annus bisextilis siue non", inde ab anno 1455 usque ad annum 1517[5], fol. 5^v: variae sententiae morales, fol. 6—10: sententiae Augustini, Gregorii, Hylarii (sic), Ambrosii, Bernardi, Ancelmi (sic), Richardi, Senecae, fol. 11—30^r: „libellus de disciplina claustralium, quem edidit deuotissimus frater thomas de kempis regularis canonicus in monte sancte agnetis prope zwollis", fol. 30^r: „Deuota oratio", in qua qui numerus vulnerum Salvatoris fuisse dicitur 5475, versibus ilico sequentibus his iteratur:

Septuaginta quinque quater cen (sic) milia quinque
Tot fertur Christus pro nobis vulnera passus.[6]

fol. 31^r: „Oratio deuota sancti iheronymi quam faciebat migraturus ad dominum ut habetur in libro de obitu eius-

---

[1] Litteris pinguibus in codice rubricatis anni computantur, quorum numeros uncinis inclusos adscripsi.

[2] Suprascriptum est „parata".

[3] D in computandis litteris numeralibus ter neglecta est.

[4] Voces „lux dat finalis" his superscriptis explanantur: „dies dicit vltima".

[5] Ad illos annos tabulam pertinere consultis libris „A. Weidenbach, Calendarium Historico-Christianum medii et novi aevi, Regensburg 1855" et „H. Grotefend, Zeitrechnung des deutschen Mittelalters und der Neuzeit, I. Band, Hannover 1891" cognovi. Cum scriptura fol. 4^r eiusdem manus sit atque foliorum 11—66, horum contextum non multo post annum 1455 litteris consignatum esse crediderim.

[6] Iidem versus leguntur in alia oratione Vol. III p. 347, 10–13.

dem. Pie ihesu virtus mea et refugium meum“[1], fol. 32v—34r: aliquot orationes, fol. 34v—36r: paruum alphabetum monachi in scola dei[2], fol. 36v—52r: Hortulus rosarum, fol. 52v—72: „ammonitiones ad spiritualem vitam vtiles“ [= de imit. Christi lib. I], fol. 73—76r: „tabula[3] in quaternulos sequentes“, i. e. in ea, quae fol. 80—179 continentur, fol. 80r—97r: „tractatus de contemptu mundi editus per fratrem johannem de scoenhouia canonicum regularem professum in viridiualle in zonia. a.“, fol. 98v—105v: Loci ex Augustino, Bernardo, Gregorio, aliis versusque, e quibus hos eligo fol. 104r: „Aerm van wille ende rijck van minnen Oetmoedich van herten ende een vuldich van ghedachten. Claer int verstaen ende snel int voirtghaen. Staerck van hoeden ende saeght van moede. Dese achte saken doen den rechte wech gheraken“, fol. 105v—115v: Varia praecepta, consilia, remedia, fol. 116r—131v: Sententiae multorum patrum ad religionem spectantes, fol. 132r—175v: „tractatus de tribulatione tribulatis omnibus ualde necessarius vtilis consolatorius et deuotus“, fol. 175v—179v: Est hoc bernardi speculum velut vnctio nardi Eciam intitulatur stimulus eiusdem. Si quis emendacioris vite desiderio tactus.

br 4 = Codex bibliothecae regiae Bruxellensis 2217 (II 2271) foliorum 238, quorum chartacea sunt 188, membranacea fol. 1 et 8 atque XLVIII inter singulos fasciculos medios insuta, 13,2 × 9,5 cm, totus sermone Batavo atque una quidem manu conscriptus, continet fol. 1—27r Hortulum rosarum, fol. 27r—192r quattuor de imitatione Christi libros, 192r—193r aliquot ad lucrandas indulgentias preces, fol. 193—204r quomodo homo deuotus se exercere debeat tribus modis diurnis, fol. 204v—227r Speculum monachorum, 227r—238v articulos fidei catholicae, fere numerata praecepta, virtutes, peccata, opera, dona ceteraque, qualia magna ex parte catechismis praeponi solent. In quibus cum fol. 234v peccata peculiaria quaedam in dioecesi Traiectensi episcopo reservata enumerentur, in ea regione codex videtur scriptus esse. Hortulum autem certe rosarum e Latino versum esse a monacha aliqua exordio probatur capituli primi (supra p. 3, 8. 9), ubi verba „Attende diligenter, frater amande in Christo“ hisce translata sunt: „Aendinet dit vlitelije mijn alderliefste susteren gheminт in Christo“, i. e. „Attendite hoc diligenter, meae carissimae sorores dilectae in Christo. Quod argumentum si cui parum potens videatur, is adsumat hunc locum inter eiusdem capituli voces „caelo“ et „Exempla“ (p. 4, 22. 23) interpolatum: „. . . Ende die heilighe deuote ioncfrouwe

[1] *van den Gheyn* Orationem dicit „prière apocryphe“.

[2] Edidi Vol. III 317—322.

[3] In extrema tabula manu, ni fallor, saeculi XVI ineuntis laudatur „Galatinus Libro 7 Arcanorum cap. 2. in Genesin“, qui grandis natu anno 1539 etiamtunc in vivis erat (cfr. Wetzer und Welte, Kirchenlexikon, 2. Aufl., IX Sp. 1914).

abdisse S. clara dat nv die heilichste oerden is in alle die werelt daer mense te rechte hult", quo insuper interpres ordini sanctae Clarae „totius orbis terrarum, ubi recte servetur, nunc sanctissimo" adscripta fuisse cognoscitur. Idemque sexus muliebris proditur verbis capituli XIIII (p. 32, 23–26): Si autem supervenerit bonus praelatus, dissipabit mox omnes fabulantes et arguet otio vacantes et bona opera neglegentes", ne „praelatus" legentibus monialibus offensioni esset, sic translatis: „God sal te hant verstoren alle clappers ende sal die ghene berespen die ledich syn ende goede werken vergheten." Contra quod mirere p. 6, 17 „O frater peregrine" = O broeder pelgrim, p. 35, 3 „O frater amande" = O geminde broeder, p. 34, 7 „fratres" = „broeders", p. 34, 12 = „broederen" vertenti nihil offensionis habuerunt.

Aetas codicis aliquatenus definiri potest hoc, quod libri de Imitatione „dat ierste", „dat ander", „dat derde", „dat vierde deel van qui sequitur me", id est, prima, altera, tertia[1], quarta pars appellantur, quod non ante tertium saeculi XV decennium solere fieri observavi Vol. II, p. 481.

br 5 Codex bibliothecae regiae Bruxellensis 2234 (11915—19), chartaceus, foliorum 344, 14,2 × 9,6 cm, olim monasterii Vallis sancti Martini Lovaniensis.

Fol. 9r: *(m)* Sequitur prefatio Jn bullas inclusionis nostre ac incorporationis cum capitulo windechimensi etcetera.

Fol. 33r: *(m)* Sequuntur quedam generalia ex statutis venerabilis capituli nostri windesimensis extracta:

Fol. 67v: *(m)* Secundum dispositionem magistri clerici admissi et novicij legant libros (fol. 68r) sequentes vel aliquos ex eis etcetera *(a)* . . . . . Libros quatuor vtilissimos de imitatione christi fratris thome kempis Eiusdem alphabetum monachi Eiusdem brevem ammonitionem etcetera (fol. 68v) Eiusdem librum qui dicitur Ortulus rosorum (sic) Et alia similia que ducunt infirmam animam ad contemptum mundi et omnium presentium et instruunt ad amorem dei etcetera *(m)* Post professionem legant ex sequentibus secundum magistri arbitrium: . . . . . Quatuor libros dyalogi nouiciorum fratris thome kempis de magistro gerardo groot et domino florentio ac gestis aliorum fratrum etcetera Omnia alia opera fratris thome kempis que haberi possunt. . . .

Fol. 70r: *(m)* Sequuntur quedam vtilia consideranda circa materiam confessionis. . . .

Fol. 111r: *(m)* Incipit epistola de vita et passione domini nostri ihesu christi et alijs deuotis exercitijs secundum que fratres in windesem se solent exercere per auctorem libri de viris illustribus domus windesimensis de teutonico in latinum translata[2].

---

[1] Tertius de Imitatione liber in codice LIX capitula habet.

[2] Cfr. Ioh. Busch, Chronicon Windeshemense ed. K. Grube, Halle 1886, p. 226—244. Acquoy, Het klooster te Windesheim, Utrecht 1875, I p. 162 sqq.

Fol. 337v: *(a)* „Finis istius libelli ex diuersis collecti Jn festo exaltationis viuifice crucis domini nostri ihesu christi Anno eiusdem XveXXvjo mense septembrj.“, infra quae ornate pictum est nomen eiusdem fratris Heymer, qui et hunc codicem exaravit et eum, quem descripsi Vol. I p. 362—365.

E ceterorum codicis tractatuum excerptorumque varietate hic sufficiat commemorasse cum nomina Petri Damiani, s. Bernardi, s. Bonaventurae, Petri Gerlaci, beati Francisci, Iacobi de Turderto, fratris Aegidii, consocii sancti Francisci, tum Thomae a Kempis hos tractatus: Alphabetum monachi[1], Admonitionem brevem spiritualis exercitii[2], ex Hortulo rosarum capitulum XVII, haec excerpta e quattuor libris Dialogi noviciorum: S II 502, 34—503, 30; 503, 2, 7—504, 39; 504, 2, 12—507, 49; 788, 2, 6—789, 9; 808, 16-46; 809, 44—2, 44; 810, 22 47; 814, 2, 1—818, 2, 25; 833, 31—835, 2, 30; 841, 31—842, 2, 16; 847, 2, 21—850, 2, 34; 854, 2, 28-37.

Bu = Codex Buxhemensis E 54, nunc truncus, chartaceus, foliorum 29,21 × 15 cm, ligatus tegumento membranae ficticiae, in primo folio, quod a compage fasciculi nunc solutum et sine numero est, haec exhibet: „Ti(tu)lus: Tractatus plurimi parui | et scripti In capite libri || E 54 || Liber Cartusien(sium) In Buchshaim | prope || Memmingen continens plures Tractatus per confratrem nostrum Petrum Gryer de Biel scriptos | et in(?) notatos | Oretur pro eo | et quibus desiderauit || In primis Speculum peccatoris beati Gregorij pape | vide supra!.“ Quod huius folii reliquum restat, id inductum est tribus scidulis ex ordine 4,5 cm, 4,6 cm, 8 mm deinceps altis, quarum mediae inscripta sunt haec: „Per ffratrem. p(etrum). iniier collecta et conscripta. || 1481.“ || quam scidulam particulam folii ultimi codicis etiamtunc integri quondam fuisse Linke probabiliter adseveravit. In infima scidula posteriore tempore scriptum est: „I 8“. Aversum folium vacuum, ut reliqua codicis folia, linearum quadraginta duarum est. In fol. 1r summo manus inferioris aetatis atramento pallido scripsit: „Cartusianorum in Buxheim“, infra quae foliorum numeris 1—28 signatorum argumenta ordiuntur hisce: | „Speculum peccatoris: beati gregorij pape. nota || Qvoniam carissimi in via huius seculi fugientis sumus: .... fol. 5 .... per infinita secula seculorum Amen. || Incipit Tractatulus pulcher et bonus: beatissimi augustini episcopi || doctoris eximij. De Consciencia || Domus haec in qua habitamus .... fol. 10v .... qui sibi vilis est: deo carus est et acceptus. || Explicit tractatulus pulcher: sancti Augustini episcopi: de consciencia siue de septem columpnis ecclesie. || In eleuacione hostie: Oracio. || SAlue sancta caro dei. .... Ad trinitatem. || O Trinitas lumen luminum: .... Ad spiritum sanctum. Veni sancte spiritus: et emitte celitus .... fol. 11r: Tractatus de XII abusionum gradibus: e hugois ec(clesi)e do(ctore) || D(?) Duodecim abusiva sunt seculi .... (fol. 16r) ....

---

[1] Vol. III 317—322. [2] Vol. II 421—432.

ffinis xij. graduum abusionum. | fol. 16v: Sequitur Sermo ad nouicios: collectus ex diuersis epp(isto)llis petri Blesensis: Si proposuisti omnes seculi pompas et illecebras mundane conuersacionis abrumpere .... (fol. 19r vacuum est.) fol. 19v: Tractatus. S. ijsidorj: de institucione noue vite || 0 dilecte fili dilige lacrimas: .... fol. 21r: De vanitate et periculis vite humane. | Hew hew mundi vita: quare me delectas ita. || .... fol. 22r: seruire. Amen. Avdi tellus audi mangni maris limbus: (in hoc carmine deciens occurrit ℸ) .... 0 mors quam dura: .... cum paupere regem. Videns ossa mortuorum: cogitet vel dicat Es ward uff aerden kein man sorich: Aer wurd || dem armen hie gelich Also richt gott indem raechten: | Hie ligend die herren by daen knaechten. Nunn mer kent all hye dobv: Waellcher herr oder knaecht sy. || Darumb moensch verkaer dynen boesen sin: Wann zytt || vnd wyl die gond dohyn. Gott gaeb in allen die | ewig ruow: Vnd das ewig liecht darczuo. Amen. | Ad contempnendum prospera. Si tibi pulchra domus: si splendida mensa. quid inde.... fol. 22v: Ad sustinendum aduersa. | Si cecus: claudus. datus es langwori. quid inde.... Sequitur contemptus mundi: sub compendio versuum. || Si quis aures habeat audiendi: audiat. .... Carmina domini petri Dammiani: heremite et episcopi. de omnibus ordinibus. || Episcopi attendite: dei verba discernite: || .... ethera. Amen. || Exhortacio salubris. | Ego quondam filius mundi | specialis .... cui vult miseretur Amen. fol. 24r: Exhortaciones ad vigilias: teppidos exhortantes dei seruos. || Cum in nocte videro .... meruit habere: Explicit. fol. 25r: Cursus mundi || Viri fratres serui dei: ne vos turbent verba oris mei. || .... (fol. 25v) .... deus ei miseretur. Amen. p. h. Legitur beatam virginem Mariam Hec septem gaudia sequencia reuelasse cuidam deuoto et ut ea quottidie diceret monuisse. Gaude dei genitrix que superas omnes: dignitate et gloria: paradisi ciues .... qui viuis etc. amen. fol. 26r: Canticum contra dissolutos sacerdotes. nota bene. || Audenter suscipio bonos sacerdotes recenter || corripio admala veloces .... (fol. 27v) .... de panis essencia transsub(stanci)are. Amen. Canitur sicut Aue viuens hostia etc. | Explicit. || fol. 28r: Incipit Alphabetum: Thome kempis. deuoti monachi. | Discipulus. Vias tuas domine demonstra michi: ..... (fol. 28v) .... secure peruenire. Amen.|“

Post fol. 28 duae cernuntur scidulae foliorum exectorum.

Haec habui, quae de codicis specie argumentisque dicerem. De fatis eius, quae iam adiecturus sum, eorum maximam partem Iohannis Linke adversariis debeo, qui eum quindecim annis antequam scidas photographicas codicis Vindobonensis 7970 a me sibi commodatas anno MDCCCCXII descripsit, a Ludovico Rosenthal librario Monacensi emerat. Ad quem Rosenthal epistula XVII kal. Novembres anni MDCCCIX data Sutro quendam in Brasiliae urbe Sancti Francisci[1], quae lingua Hispaniensi San

[1] Ab utra Brasiliae urbium, quibus eadem appellatio San Francisco est, Sutro oriundus fuerit, mihi non liquet.

Francisco appellatur, habitantem scripsit omnes quondam cartusiae Buxhemensis codices circa medium saeculum XIX coemisse, a quo ipse magnam partem in Brasilia iam dissectorum sibi pepererit. Hi qui fuerint videsis in catalogo Rosenthaliano 81 p. 1—3. Tandem aliquando post longos errores codex in Bohemiae urbem Braunau atque in bibliothecam quidem doctoris Ed. Langer devenit, qui in auctione ab Oswaldo Weigel librorum venditore Lipsiensi facta pridie id. Iun. anni MDCCCCXIIII a se emptum ad bibliothecam universitatis Bonnensis mihi conferendum humanissime misit.

Eiusdem codicis altera pars et ipsa trunca foliorum 25 numeris 31—55 signatorum eodemque, quo prior, tegumento ligata, in catalogis Rosenthalianis 81 p. 25 no. 346 et 120 p. 20 no. 175 venditata summo folio 31r adglutinatam habet scidulam 7 cm altam, 14 cm latam, in qua scriptum est: „Canticum de virtute paciencie. Thome de kempis. || nota ADuersa mundi tollera: — amabilior. Amen. || In eadem scidula aversa partim laxata leguntur initia tredecim versuum precationis ad Deum Patrem factae; ipsa autem folii pars obtecta continet Vitae boni monachi capituli VIII verba lacunosa „munire ab excursibus“ usque ad „(la)us per e(terna)“ (cfr. supra p. 159, 5—160, 21). Iam infra scidulam sic pergitur: „Sequitur Rigmus de vita ihesu ymitanda. || Vltam. || ihesu xp(isti)i stude ymitari: .... te resigna sine mora. || Assuesce ihesum in vocare: .... reddentur premia beatorum. Amen. Explicit.“ || fol. 31v: Alphabetum diuini amoris. Vt creditur p(atris?) To(me). kempis || prohemium. AD honorem omnipotentis dei .... protector. director. et finis Amen. || Explicit || fol. 45v: „Incipiunt capitula libri sequentis. qui dicitur Ortulus rosarum. || De bona societate querenda et mala fugienda .... (fol. 55) .... Omnis spiritus laudet dominum. Amen. Explicit Ortulus rosarum: de valle lacrimarum.“ fol. 55v: Nota bene. Regula ordinata et finalis intentio monachi debet esse. || ... mirabilia in vita || sua.

Co = Codex a W. A. Copinger emptus e bibliotheca Edmundi Waterton[1], foliorum 269, quorum 39 dispersim inserta membranacea sunt, haud paucis et nominum nitidis principiis et totis foliis barbare excisis[2], aliis adglutinatis, 13,5 × 7 cm, miscellaneus, cuius tractatus nunc partim mutilos[3] tabulam opusculorum fol. 1v praemissam sup-

[1] Codex paucis descriptus p. 24 in „Catalogue of the Waterton library, ... which will be sold by auction, by messrs. Sotheby, Wilkinson & Hodge, ... the 18th day of January, 1895, ... London“, commemoratur in Caroli Hirsche scidis gymnasio Kempensi donatis, ubi compluribus titulis ex eo excerptis haec superscripta sunt: „Mr. Serrure près de Gand. Moortzeele“, qui vicus prope Gandavum situs est.

[2] Scidulae foliorum excisorum sunt inter fol. 34/35, 46/47, 61/62, 149/150, 197/198, 198/199, 268/269.

[3] Magni ad hoc volumen interest adnotare, inter fol. 1/2 et 17/18 terna folia deesse, quo factum est, ut Hortuli rosa-

plentes hic summatim recensemus: Hortulus rosarum: Carmen: JCk sach myn heer van hemelrijk op enen ezel rijden; aliud: (A)Ls ick beghyn tho dencken om myn verloren tyt; Regula fratrum minorum cum testamento beatissimi patris Francisci; Tractatus magistri Iohannis Gersonis de modo vivendi cuiuslibet; Alphabetum parvum boni monachi in schola dei ordinatum a beato Bonaventura[1], Alphabetum de morte, Bernardus; Carmen: SI tibi magna domus, si splendida[2] quid inde; aliud: SI cecus claudus, datus es langue (sic)[3] quid inde; Dyt is dat gulden A. b. c. ghenanth.... Explicit: Amen segghet nu alle gader. Dat ons moet gunnen god den hemelschen vader; „Sequuntur pulchre questiones. EEn vraghe ist wie god meest mint. Dats de ghene de hi oetmodich vynt; Carmen de paciencia (germanice); Carmen de morte (germanice); Benedicite laycorum: Soete ihesus doer iwen heiligen bitteren doot Ghebenedijt ons hier bier ende broet; Excerpta ex S. Augustino (germanice); Libri quatuor fratris Thome kempis de imitatione Christi; „Scala deuotionis fratris Seuerini de bolzuardia ordinis minorum continens plurima eademque non contemnenda documenta", capitulorum LVII; „De vita beate virginis Marie"; „Soliloquium seu anime et hominis interioris dialogū (sic) bonauenture; „Speculum recollectionis omnium religiosorum proficere volencium"; „Exorcismus salis et aque contra bona maleficiata; Exorcismus super cremam quando est butiro priuata; in celebritate primiciarum et de nouo sacerdote.

Fol. 267v[4] litteris rubricatis scripta sunt haec: „Ad laudem et gloriam dei omnipotentis ac gloriosissime virginis marie. Nec non seraphici patris nostri ffrancisci. Atque tocius curie celestis honorem. ffinit scala deuocionis fratris seuerini bolswardie Anno incarnacionis dominice Millesimo Quingentesimo primo. Nona die Julij. Jn octaua visitacionis marie. Scriptum per manus fratris eiusdem."

Ha Codex Latinus bibliothecae regiae Berolinensis 355 („acc. 10,932"), chartaceus, foliorum 148, 21,2 × 15,5 cm plurium[5] manibus scriptus est. Inter folia 76 et 77 unum, inter 110 et 111 duo folia desiderantur. Vacua sunt fol. 1v,

---

rum index capitulorum titulusque capituli primi atque p. 37, 24 *disciplina* ... usque ad p. 42, 17 *vitiis* nunc desiderentur.

[1] Immo a Thoma a Kempis.

[2] Excidit *mensa*, quod Linke in alio codice legit.

[3] Apud Linke: languori.

[4] Fol. 268 et 269 vacua sunt.

[5] D. I. M. Wüstenhoff, Iohannis Busch scripta quaedam minora ... Gandavi 1890 p. 7 alias codicis partes ab aliis statuit scriptas esse hoc modo: fol. 4—6 et 76v—82v medium et 83—88v fortasse eadem manu recentiore *c*, fol. 7—41 et 54—74 manu *a*, fol. 41—54 manu *b*, folii 82v reliquam partem et fol. 88v—137 manu *d*, fol. 137—148 manu *e*.

2, 3, 74v, 75, 76r, 110v. In scidula posticae parti tegumenti antici adglutinata legitur: „Bibliothek des Oberlandesgerichtsrath Hecht“, quod Latine sic reddiderim: „Bibliotheca Hecht a consiliis summi iudicii provincialis“, fol. 1r: „Liber monasterij sancti pancracij martiris in hamersleue“ fol. 4r: „Incipit prologus in librum de origine moderne deuocionis. de origine monasterij in windesim et de origine capituli nostri generalis et de eius dilatacione. In nomine sancte et indiuidue trinitatis“, qui prologus fol. 5 hisce finitur: „Anno domini millesimoquadringentesimo sexagesimo tercio vtcumque completa: et sic est finis prefacionis“, quibus verbis alia manus addidit: „Explicit prologus iohannis busch quondam prepositi noui operis. hallis et prioris in zulta[1]“, cuius libri capitulum 47 fol. 74r in haec verba desinit: „beatitudo omnium sanctorum: per infinita secula seculorum Amen“, fol. 76v: „Puer ihesus natus paruulus de hogeboren vorste de eddele iunghe koninc Primo est involutus sed non nisi in pannis mundis in Volui debet.“ Ceteras, quae in codice continentur, scriptiunculas videlicet Iohannis Busch, s. Bernardi, „gherardi grot“ a Wüstenhoff l. l. p. 7—11 enumeratas una cum haud paucis eius in legendo erroribus persequi supersedeo hoc unum notans fol. 113r et 121r annum scriptum non esse 1487, sed 1485, et e fol. 118v paulo plenius adferens haec: „Epistola incitatiua ad profectum cuiusdam regularis Uincenti dabo manna absconditum“, fol. 120r: „conturbat multitudo viciorum homo dei et cetera Hic deficiunt tres columpne finales Et eciam principium epistole huius que dicitur incitatiua ad spiritualem profectum. facta a quodam canonico regulari Et incipit sic Karissime frater libenter tecum diuido etcetera Et postea Vincenti etcetera Require hanc epistolam integraliter in libro rubeo vbi habetur Benedictus super cantica.“

Ho = Codex bibliothecae regiae Haganae V 31, membranaceus, foliorum 196 numerorum ordine notatorum, quae bina non notata et praecedunt et sequuntur, 29,5 ⁄ 20,5 cm, saeculi XV[2] exeuntis, olim conventus sanctae Catharinae Hoornensis.

Insunt: Calendarium, psalmi, ad Vesperas, ad Completorium, antiphonae, Preces minores, Preces maiores, Vigiliae mortuorum, fol. 158r—192v hymni cum notis musicis.

K 7 = Codex archii historici Coloniensis GB 58, foliorum praeter folium secundum membranaceum 184 chartaceorum, quorum septem numeris carent, 14,8 × 10 cm, in

---

[1] De hac codicis parte Carolo Grube Iohannis Busch Chronicon Windeshemense, Halle 1886, edenti ignota diligenter disseruit Ludovicus Schulze in Göttingische gelehrte Anzeigen, 1888, vitiose tamen solvens p. 645 „hall ꝛ ꝓoris“ per „Hallensis ephorus“ pro eo, quod modo scripsi „Hallis et prioris“.

[2] In pagina ante fol. 1r codicem adnotavit nescio quis exaratum esse „seculo XIV literis uncialibus Rubro-nigris“.

quibus insunt haec: fol. 2—5: Philomena preuia temporis ameni (versus homoeoteleuti), fol. 7—30r: Hortulus rosarum, 30v: Oratio amatoris Christi et anime fidelis ad deum suspirantis, fol. 31—45: Sermones ad novicios XXVI et XXVII Vol. VI p. 239, 14—281, 31 a me editi, fol. 46—62: „Collatio notabilis cuiusdam fratris sancte crucis in generali capitulo", in cuius fine fol. 62v adnotatum est: „Anno domini M cccc°lxiij", fol. 65—178v: „Item adhuc alie collationes collecte per alium fratrem eiusdem ordinis, quarum prima est de contemptu mundi et diuiciarum", ultima „32a de verbis ociosis", quibus manus saeculi sexti decimi septimive decimi fol. 64v haec praescripsit: „Collationes Spirituales quas composuit R P Ioannes Coci prior huius Domus cruciferorum colonie 1415." Codex complurium manuum conspicuarum fol. 2—5, 7—45, 46—62, 65—178, opera exaratus est foliis 1v, 6r, 63, 64r vacuis relictis. Fol. 1r legitur: Liber fratrum sancte Crucis Canonicorum Regularium domus Colon(ie), fol. 178v: finitus est hic liber anno domini 1423 et aliqualiter correctus a domino joanne rees atque signatus, qui dedit nobis eum circa annum domini: 1438. Fol. 6v imago arboris viridi colore redditae est, a cuius ramis scidulae cum titulis octo beatitudinum pendent cum titulis octo beatitudinum secundum Matthaeum V 3—10 ordinatarum atramento scriptis, sub quibus singulis flosculus pictus est. In medio supra truncum scriptum est rubrica: „Caritas, spes, fides" tribus infra floribus insignitum, itemque infra truncum rubrica: „Vox Christi", quibus verbis addita est adlocutio atramento scripta haec: „Veni in ortum meum soror mea sponsa." Flexa (ʔ) per codicem passim obvia in Hortulo rosarum occurrit centiens sexagiens.

K 8 = Codex archii historici Coloniensis W 58*, foliorum 5 non numeratorum + 153 plumbo numeratorum + 9 non numeratorum, praeter alterum folium non numeratum et folia 8, 9, 18, 19, 28, 29, 38, 39, 48, 49, 58, 59, 68, 69, 78, 79, 88, 89, 108, 117, 133, 138, 139, 144, 145, 153 membranacea, quibus accedit folium inter 107 et 108 non numeratum, chartaceorum, 14,2 × 10,1 cm, quorum fasciculi incipiunt a fol. 1, 19, 39, 59, 79, 99, 118, 133, 145, saeculi XV. Vacua sunt folia non numerata 1, 2, 3r, 4v, 5, fol. 56—58, 124—130, 132, 153v, novem non numerata finalia.

In folio 3v non numerato scriptum est: „Istum librum scripsi (rjdocus) · · s · · (r²v) · · · (Alt) · · prop · · · imz dz[1] eis", in sequenti quarto: „Iste liber pertinet ad (cart)hus prope (h) · · bu · · · (gum) mons (mirre): a · · · · · (priꝛ), quarum litterarum quas uncis inclusi, eae vel deleticiae vel expunctae vel obscuratae dubiae lectionis sunt. Postea librum possedit I. C. Gerning[2] Francofurtanus, entomologus (nat. 1745, † 1802), cuius nomen in scidula antico tegumento averso adglutinata addito insigni generis eius conspicitur.

---

[1] *dz* per compendium scriptum est *debet*.

[2] Cfr. Michaud, Biographie universelle, tome XVI, Paris 1856, p. 340.

Continentur in codice hi tractatus: fol. 1r–55v: „Beatus vir cuius est auxilium abs te“, qui tractatus „De spiritualibus ascensionibus“ vulgo inscriptus Gerardi de Zutphania est, non Thomae a Kempis, quem eius auctorem esse sciolus perhibet nescio quis saeculi XIX in scidula primo codici inserta; fol. 59r—123 De imitatione Christi III et II et IIII liber, ad quem alia manus pallidiore atramento addidit: „Explicit tractatulus quartus de exhortacione deuota ad communionem et cetera“, fol. 131r: „Consideracio diuine bonitatis De humilitate nostra secundum ordinacionem dei“ et reliqui tituli paragraphorum primi et secundi capituli eius, qui iam sequitur tractatus fol. 133r: „Incipit epistola ad quendam a ministerio suo absolutum de recommendacione solitudinis et custodia silencij Kcarissime (sic) cum esses....“, fol. 153r: „.... silescant. Explicit epistola ad quendam a ministerio suo absolutum de recommendacione solitudinis et custodia silencij“.

His duo notatu digna adicio: 1) In libris de imitatione Christi flexa (ꝰ) adbibita est, 2) Fol. 133—153 alia mihi videntur manu scripta esse atque fol. 1—131. Cui coniecturae fortasse suffragantur nonnullae titulorum indicis a contexta oratione discrepantiae.

K 9 = Codex archii historici Coloniensis W 75. 12°, saeculi XVI ineuntis, foliorum chartaceorum 75, 13,6×9,7cm. Scriptura vacant fol. 1v, 6v—8v, 27v, 46r, 49r, 51v.

fol. 1r: Ad vsum fratris Jacobj herentals Scriptus in conuentu Machliniensi.

fol. 2r: prefacio in confirmationem Regule fratrum Minorum HOnorius episcopus seruus seruorum dei dilectis filijs fratrj ffrancisco et alijs fratribus, fol. 2r—4v: regula Minorum fratrum, fol. 5—6r: Testamentum beatissimi patris nostri ffrancisci, fol. 9r–21v: Prologus sancti Augustini in suo manuali .... Explicit manuale b Augustini deuotissimum 1506, fol. 21v–27r: precationes deuotae, quibus fol. 24 interpositum est carmen illud lugubre: Stabat mater dolorosa, fol. 28r: „Incipit deuota meditatio que dicitur stimulus amoris composita a quodam Carthusiensi in Roma“. Quae iam sequuntur precationes homoeoteleutae hoc numero compositae sunt: ⏑ ⏒ ⏑ ⏒ ⏑ ⏒ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ elisionis et mensurae syllabarum ratione non habita, fol. 38v: „Explicit stimulus compassionis deportatus ex urbe in hijs partibus a quodam Episcopo in francia ordinis predicatorum sumptus precipue ex dictis deuotissimj bernardi abbatis“, fol. 39r (numero modo laudato) „Philomena preuia temporis ameni“ [1], fol. 39v—45v: „Deuotissimi bonauenture carmen de mistica philomena Philomena preuia temporis ameni“, fol. 46v—51: Haec quattuor carmina excepto secundo notis musicis instructa sunt: 1) „Aue pulcerrima regina gratia diuina“, 2) „GAude rachel tam speciosa“, 3) „Ad festum leticie“, 4) „Dies est leticie in ortu regali“,

[1] Duae tantum eaeque cum notis musicis strophae, quarum lectiones cum fol. 39v non prorsus congruunt.

fol. 52r—74v: „Jn nomine domini Sequuntur aliqua sumpta[1] ex tractatulis et ammonitionibus deuoti patris fratris Thome kempis canonici Regularis prope suollis Et primo ex vita dominj florencij religiosi sacerdotis quam ipse describit". Ex hac vita quae excerpsit, in *S II*[2] leguntur p. 810, 2, 23—811, 2, 10; 814, 2, 1—815, 33; 815, 38 818, 2, 25, fol. 56v—57v: Alphabetum deuotj religiosj Thome kempis = Vol. III p. 317, 10—321, 31, fol. 57v—67r: e Sermonibus ad novicios = Vol. VI p. 19, 28—20, 11; 21, 1—32, 11; 45, 1—49, 7; 52, 5—55, 24; 56, 24—58, 22; 61, 25—66, 15; 67, 18—72, 21; 76, 5—79, 18; 89, 7 . . .; 97, 1—98, 11; 99, 24—102, 17; 113, 22 . . ., fol. 67v—68v: e Sermonibus ad fratres = Vol. I p. 116, 1—118, 28; 119, 5—124, 14, fol. 68v—69v: e Dialogo noviciorum = S II p. 502, 34—2, 23; 504, 2, 12—506, 2, 29, fol. 70r—72v: „Ex quibusdam epistolis venerabilis patris Thome kempis" = Vol. IIII p. 449, 1—456, 21; 457, 15—460, 25 et II p. 321—326, 5, fol. 72v—73v: ex Hortulo rosarum = Vol. IIII p. 23, 10—27, 26; 33, 21—36, 11; fol. 73v—74r: e Valle liliorum = Vol. IIII p. 79, 1—80, 13, fol. 74: e Libello de vera compunctione cordis = Vol. I p. 65, 1—70, 12, fol. 75r: „Doctrina magistri Johannis varenacker Sacre teologie (sic) professoris eximij QVi sue ignorancie consulere velit", fol. 75v: „Jdem prefatus magister Johannes plebanus louaniensis MVlti per cordis sui pusillanimitatem putant se peccare vbi non peccant".

K 10 = Codex archii historici[3] Coloniensis W 28, chartaceus, foliorum 268, 14,3 × 10,2 cm. Fol. 51—244 numeros manu antiqua scriptos habent „·I·—CXCIII", inde a fol. 27r cum signaturis, quas dicere consuevimus a[1] . . . .

Fol. 244v: pertinet monasterio cartusiensi in colonia

Fol. 260r manu saeculi circiter XVII: Hoc Martyrologium cum suo Jndice scripsit, et |: absque dubio :| collegit et composuit V. P. Hermannus Grefgen, Sacerdos et Monachus professus Carthusiae Col. qui obijt anno 1480 die 5. Nouemb. Confer characteres cum altero Martyrologio illius sub OO. n. 167.

Fol. 1r: „Incipit letania fratris alberti magnj ordinis predicatorum episcopi Ratisponensis doctoris egregij in theologia vniuersitatis parisiensis oriundi. de quadam villa sueuie appellata lougingen Oracio bona de kyrieleyson O kirie domine preeminens omnibus natura. que, fol. 21r: per christum dominum nostrum Amen ⁋ finis letanie venerabilis domini Alberti magni in Ratisponeñ episcopi de ordine predicatorum sacre thelogie (sic) doctoris egregii." Sequuntur variae precationes.

---

[1] Ne excerpta quidem sine lacunis sunt.

[2] Ad eandem Sommalianam in partibus a me nondum editis, in editis ad meam legentes relegabo.

[3] Etiam codices in Vol. I p. 357—361 sub siglis K 1—K 5 descriptos adsignare debebam non bibliothecae urbicae, sed archio historico. Quae appellationum confusio eo subrepsit, quod bibliotheca et archium in eodem aedificio conlocata sunt.

Fol. 27r: *(m)* Incipit dictarius salutaris deuote frequentandus O *(a)* summa infinita et increata bonitas dei; fol. 46r: ad consorcium sanctorum tuorum Amen *(m)* Pa dicta

Fol. 46—49r: Varia dicta, precatio „ancelmi episcopi, Dulciloquium pulcherrimum [versus] beati bernardi abbatis de incarnatione domini nostri Ihesu christi".

Fol. 49r—50r haec tria Thomae a Kempis cantica sine eius nomine: O dulcissime ihesu qui, Tota vita ihesu christi cumque notis musicis: Celi ciues attendite.

Fol. 50v: „Corona de nomine maria. [M]agnificat anima mea dominum." Quinque deinceps suspiria incipiunt a litteris M, A, R, I, A.

Fol. 51r: „De lancea domini feria sexta post octavam pasche Antiphona In splendore fulgurantis haste sue", quod sine dubio exordium est Martyrologii supra memorati, quo cum indice nominum sanctorum et precationum variarum per codicem interpositarum reliqua eius pars completa est.

Fol. 1—23 alia manu scripta sunt atque Martyrologium, ultra aliis manibus pusilla quaedam et cantica Thomae.

Ka = Codex 368 bibliothecae magni ducis Badeniorum aulicae popularisque Caroliruhensis[1], chartaceus, decem foliorum, 21,1 × 14,3 cm, recentiore memoria ligatus, cum notis musicis rubricatisque tum titulis tum litteris primis, emptus mense Augusto anni 1786 ex auctione Helmstadiensi Antonii Iulii von der Hardt, continet hos septendecim hymnos, quos supra p. 251—324 edidi, hac serie: XII, IX, X, VIII, XI, XXVI—XXVIII, XXIIII, XXV, XXIX—XXXV, praeterea fol. 6v: „Item de superna iherusalem ynnus et cetera Ad perhennis vite fontem mens sitit nunc arida", cuius hymni notis musicis adpingendis destinatum spatium vacuum relictum est.

Le = Codex maioris seminarii clericorum Leodicensis 6M18, foliorum 229 praeter 212 229 membranacea chartaceorum, quorum ordo eo turbatus est, quod is, qui librum ligavit, folii 7 8 sinistrum dimidium pagellis 4v et 5r, dexterum pagellis 10v et 11r perverse interposuit, 13,7 × 10,3 cm, quattuor (1: fol. 2—181, 2: 183—203, 3: 204 208, 4: 212—229) diversis manibus exaratus, quem ante annum 1500 scriptum esse vix crediderim, argumenti miscellanei, cuius epitome haec est: Hortulus rosarum, De sancto Ioseph, Van der insettinghe sinte Iosephs feeste, Tractatus Petri Blesensis de paenitentia et confessione, Expositio orationis dominicae, Dialogus magistri Hugonis de sancto Victore de vanitate mundi, „Tractatus quidam in theutonico qui dicitur calemundia", De sancto Jnvicem, De sancto Nemine, „Tractatus quidam de locis iherosolimitanis". Fol. 1r post indiculum tractatuum haec leguntur:

---

[1] Codex descriptus est in „Die Handschriften der Grossherzoglich Badischen Hof- und Landesbibliothek in Karlsruhe. IV. Die Karlsruher Handschriften. Karlsruhe. Verlag von Ch. Th. Groos. 1896" p. 42; cfr. ibidem p. 29.

„Et pertinet fratribus sancte crucis de claro loco prope et extra muros opidi huyensis leodiensis dyocesis“ et fol. 2r: „Conuentus Cruciferorum Huj“[1].

Lu = Codex Lugudunensis Batavorum 339, foliorum paginarum bipartitarum 164, membranaceus, non ante annum 1430[2], ut mea fert opinio, scriptus continet praeter quattuor precationes hos VIII tractatus in Batavam dialectum versos: Quattuor libros de imitatione Christi; sine titulo tractatulum XIIII capitulorum, quorum primum est: „Van enen doechdeliken ende ynnighen leuen“, ultimum: „Van aendacht tot gode ende bewaringe syns selues“, Libellum spiritualis exercitii[3], Libellum de recognitione propriae fragilitatis[4], Hortulum rosarum. Codicem possedit anno 1678 P. Van der Meersch, librarius Lugudunensis, postea Z. H. Alewijn. Descriptus est in Catalogo der Bibliothek der Nederlandsche Letterkunde te Leiden. Eerste Gedeelte. Handschrifen. Leiden, E. J. Brill. 1877, p. 21.

M 430 = Codex bibliothecae urbicae Mogontiacensis, nunc 430[6], foliorum 273 praeter singula ante et post non numerata membranacea chartaceorum, quorum folia 143—151 et 216 vacua sunt, 11,5 × 8,4 cm, saeculi XV, satis lepide scriptus, liber precationum e monasterio aliquo monialium oriundus, quam originem ex adhortationibus vitam monasticam commendantibus conicere licet, in quibus extremis fol. 1r haec leguntur: „semper cogita quam strennue et stricte racionem redditura es de omnibus omissis et commissis“; item ex his fol. 7v: „O ihesu amantissime splendor paterne glorie et sol iusticie qui pro me indigna ancilla tua dignatus es hanc vilissimam pati doloris formulam . . . .“, fol. 157r: „Sequitur sequencia de concepcione beate marie virginis dicenda a qualibet eius deuota filia per totum circulum anni . . .“, fol. 262r: „Oracio beati augustini patris nostri quam ad animam sanctissimi patris Ieronimi . . . fecit Rogo te . . . ut intercedas pro me misera peccatrice indignaque famula . . .“. Praeterea fol. 1r legitur: „adadam9 d 265“ et fol. 1v haec verba sigilli: „EX BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS MOGUNTINÆ.“ Cuius unde et quando codex factus sit, praefectus eius Gustavus Binz[6],

---

[1] Hodie Huy ad Mosam.

[2] Cfr. supra p. 496; non multo post illud tempus codicem scriptum esse ut credam, adducor etiam frequenti lectionum eius cum *C* (de quo cfr. Vol. II p. 437) anno 1431 exarato consensu.

[3] Vol. II p. 329—355.

[4] Vol. II p. 357—373.

[5] Apud DREV. antiquiorem codicis designationem secutum XXIII p. 153 hisce adumbratur: „Orat. ms. Veteris Monasterii (?) saec. 15. ex. Cod. Magunt. II 209.“

[6] Idem me edocuit sigillum universitatis inde ab anno MDCCXCVIII minutatim abolitae videri per duo sequentia circiter decennia in usu esse non desisse.

vir humanissimus, sciscitanti mihi incertum esse scripsit, cum monasteriis anno MD.CCII sublatis e conventibus Alteiensi (Alzei), Borbetomagensi (Worms), Noviomagensi (Speyer), aliis in bibliothecam Mogontiacensem libri deferrentur, atque anno quidem MDCCCVI circiter ducenta monasterii S. Agnetis Mogontiacensis volumina argumenti maximam partem theologici, in quibus num etiam manu scripta fuerint, relatum non esse. Sed cum illae moniales ordinis S. Augustini fuerint anno MDLXVIII Crucenaco Mogontiacum fugitivae[1], fieri potest, ut codicem, quo de agitur, domo illuc attulerint.

Mg = Codex Germanicus 844 bibliothecae regiae Monacensis, foliorum 214, 15,5×10,3 cm, chartaceus, saeculo XVI complurium manibus exaratus. Vacua sunt fol. 2ᵛ, 4, folium inter fol. 49 et 50 non numeratum, 73ᵛ, 74, 105ᵛ, 106ᵛ, 201ᵛ, 202ʳ. Insunt haec: fol. 1 et 2ʳ: Von bessen [= boesen] weltlichen freuden [carmen devotum versuum duriusculorum scriptum anno 1571], fol. 4—11: „Ain schoener newer Cisiö“ [id est calendarium poeticum typis excriptum anno M.D.XXVIII cum nomine librarii puto edito „Wolff Schwarczenbach“], fol. 12—49: Die metten von dem heiligen Kreütz. Quae sequuntur fol. 50—105ʳ, alia manu scripta sunt hoc ordine: fol. 50—65: Die Sentenz oder Sprüch des hailigen vaters Nili, Bischoffs vnd Marterers, fol. 66—68: Gezogen aus den Predigen (sic) des heiligen vaters Johannis damascenj, fol. 69—73ʳ: Die Schul der Gaistlichen Vbung .... 1527, fol. 75—105ʳ [praepostere hic ligata] Incipit: Dis Büchlen haiset [superscriptum est atramento pallidiore: wurt genent] das Rosengertlen von dem dal der zeher, Explicit: Hie endet sich das büchlen das genennt wurt das Rosgertlen. 1526, fol. 107—150: Dise materij sagt von einē waren einker .... Der schreiberin ein andechtigs Aue maria vmm ihesus wil, fol. 151—200: ein schüne predig von einkēr, fol. 201ᵛ habet haec tantum: Solet queri cur deus hominem temptarj permiserit quem decipiendum presciebat esse, fol. 202ᵛ habet haec tantum: Gedenckt auch mein Jm bestn̄ (?) Jn eure andacht Vnd so es euch gelingt vergest mein nit Leonhardus fabrj de neunstat der euch das puchlein geschenckt hat. Amen, fol. 203—210: Statuten der Layen brüder.... Anno dominj. 1.5.30, fol. 211—214: Precationes solitae litterarum formis descriptae: Pater noster, Aue Maria, Salue regina, aliae, in quarum fine nomen additum est: Jodocus Gutcknecht. Fol. 3ʳ haec scripta sunt: Anno 1570 den 4 dag Nouembrisſs bin ich hanſs Schmidl vonn Eyſtadt in das Cloſter gehn Rebdorff kumen vnd Am Mondäg vor dem heylligen Weichenacht dag hat man mir Die gröben kappen angelegt ....., fol. 3ʳ haec: Anno domini 1573 den 13 Januariſs bin Jch fratter hannſs Schmidl Broffes [i. e. professus] worden.

[1] Cfr. K. A. Schaab, Geschichte der Stadt Mainz. Mainz, 1844. In Kommission bei F. Kupferberg. II p. 331, V. A. F. Falk, Heiliges Mainz (Mainz, Kirchheim, 1877) p. 63.

Ml — Codex chartaceus, foliorum 224, 14,9 × 10 cm, in Catalogi codicum Latinorum bibliothecae regiae Monacensis tomi II partis III (Monachii A.M.D.CCC.LXXVIII) p. 284 hisce adumbratus est: „20015 (Teg. 2015) 8° s. XVI. 222 f. Orationes et poemata varia scripsit idem qui codicem 19852; f. 122 Alphabetum secretum", quibus e larga codicis varietate haec excerpendo adicio: Permulta carmina in eo continentur saeculo potissimum XV de sancta Anna aliisque et hominibus et rebus metris antiquis composita — per litterarum ordinem enumero — Rodulfi Agricolae „Grunigensis"[1], Iodoci Badii Gandensis, fol. 214v—217r fratris Baptistae Mantuani Carmelitae theologi De contemnenda morte carmen, Hermolai Barbari, fol. 69r—74v, 206v—210 Iodoci Beissellii vel Iudoci Beysselii, regiae urbis Aquensis patricii, fratris Benedicti monasterii Polplinensis ordinis Cisterciensis[2], Sebastiani Brant, Conradi Celtis Protucii poetae laureati, Philippi Furstenbergii Rinchauensis, Theodorici Gresemundi iunioris Maguntini, Iohannis Herbst Lutterburgensis, „Rodulfi" Langii canonici Monasteriensis, Iacobi Philomusi, fol. 146. 147 „celeberrimi Jurisutriusque Doctoris et Equitis aurarj, domini Petri Rauennatis Italj in vniversitate Gripsualdensi vtrumque Jus ordinarie legentis", Iohannis Sculteti, Iohannis Tritemii abbatis Spanhemensis, Rutgeri Venrai canonici regularis Haynensis Wormacensis „diocesis", Wernheri Themarensis et nonnullorum anonymorum, porro haec miscellanea: Iohannis Tritemii epistula („ex incuria et negligentia quibusdam exemplaribus deest, quam ipse tamen apponj omnibus mandauit, et pro apposita singulis haberj decreuit"), „fol. 147 sqq. Carmen Sibylle Erythreae de Christo et extremo iudicio Graeco traductum... Impressum Albiburgi Anno a natali Christianismo. M.D.III.*Vi.*M.T.", „Sibilla Tiburtina" (aliquot vivendi praecepta), S. Bernardi Speculum monachorum, eiusdem Scriptum de regimine vite; cuiusdam Exhortatio bona ad Carthusienses, De sanguinis missione, fol. 128v haec duo carmina sine nomine: 1) Si pulchra domus, si splendida mensa, quid inde? 2) Si cecus claudus, datus es languere, quid inde?

Iam missis nonnullis fol. 5r et 37v effectus precationum quarundam superstitiose extollentibus et tribus precationibus dialecto Bavarica conscriptis restat, ut codicis partes ad Thomam Kempensem pertinentes recenseamus. Sunt autem hae: fol. 156r: ✻ Incipit vita boni monachi deuotissimi patris Thome de kempis Ordinis Canonicorum regularium Audi religiose monache..., fol. 157v: ✻ Rigmus de vita jhesu imitanda Vitam jhesu stude imitarj, ... ✻De invocatione nominis Jhesu Marie et sanctorum Assuesce

[1] Scribi debebat „Groningensis".

[2] In vico Polpelin, cui hodie nomen est Pelplin, abbatia ordinis Cisterciensis fuit, de cuius nominis variis scribendi rationibus conferas indicem Scriptorum rerum Prussicarum, Lipsiae 1874, vol V p. 711.

Jhesum invocare, fol. 158r: ✻ Incipit alphabetum monachi in scola Ihesu Christi studere volentis Vias tuas domine, fol. 159v—161r: ✻ Incipit Consolatio pauperum et infirmorum et hys articulis subdiuiditur, Pauper debilis, Lazarus infirmus, Joseph peregrinus, Claudus despectus, Columbanus tacitus, Simplicianus indoctus, Turtur solitarius, Consolaminj consolamini populi meus, fol. 166v: ✻✻ (cum notis musicis) Quanta michi cura de te, fol. 167r: ✻✻ **Nota** vita Jhesu Christi, crux fuit et martyrium, cui carmini subicitur sine titulo: ✻✻ **Angelorum** si haberem linguas necnon hominum, fol. 172v: „Ad laudem omnipotentis dej glorioseque virginis Marie matris eius, Incipit hic quoddam exercicium deuotissimum circa vitam Passionem, Resurectionem (sic) et glorificationem dominj nostri Ihesu Christi per deuotissimum fratrem Jordanum Ordinis. S. Augustini compillatum (sic) Incipit prologus ✻✻ Si desideras perfecte .... Amplectere crucifixum", quae perpaucis exceptis cum editionis meae Vol. V p. 3, 1–23 praefatione concordant, reliquum vero tractatus argumentum multum differt sic continuatum: „Sequens ergo exercitium docet hominem reficere animam suam ferculo spiritualis eduly."

Quae scripta modo asterisco insignivi, ea librarius verba nonnulla vel omittens vel leviter mutans ex *Pr* videtur descripsisse, reliquos autem tractatulos carminaque binis a me asteriscis insignita, cum in *Pr* desint, aliunde sumpserit necesse est.

No = Codex Novesiensis, foliorum membranaceorum 73, 11,8 × 8 cm, in catalogo bibliothecae Krafft numero 3469 signatus emptusque in auctione mense Septembri a. 1897 a Petro Hanstein, bibliopola Bonnensi, facta pretio 15,50 marcarum ab I. Halle, veterum librorum coemptore et venditore Monacensi et ab hoc mense Iunio 1912 venditus bibliothecae regiae Berolinensi, saeculi mea quidem sententia potius XVI dimidii prioris, quam XV, haec prae se fert suorum olim possessorum ac possestricum testimonia: fol. 1v: „Ad vsum fratrum minorum recollectorum conuentus Nouesiensis"; ibidem alia manu: „agnes collen nunc(?) fruitur(?)" et iterum alia: „Katherina (sic) a merraedt dicta hofflis hunc sibi Ascribit librum dono dilecte matertere suae agneta colen."

Insunt in codice hi tractatus: fol. 2a—42r: Hortulus rosarum (indici titulorum superscriptum est: „Auctor libelli huius Thomas de Kempis"), fol. 42r—47v: Quoddam incitamentum et exercicium qualiter verus Christi discipulus debet se conformare passionibus Christi possetenus, fol. 47v: „Incipiunt parabole senece", fol. 56v: „Expliciunt proverbia senece", fol. 56v—65r: Duo tractatuli Francisci Petrarcae ad quendam de morte, quorum prior sic incipit: Ecclesiasticus doctor clamat, alter sic: Nil dampnosius in humanis malis, fol. 65r—73r: psalterium notabile ab Augustino episcopo in extremis laborante composite (sic).

S 979 = Codex 979 bibliothecae urbicae Coloniensis, foliorum 152, quorum 28 postrema post addita sunt, 19 × 13,5 cm, inaequali bonitate chartae, cuius sunt vilioris notae

fol. 17, 28, 79, 80v—83v, 125—152. Folia 83, 125, 126, 128, 132, 135, 139, 141, 144 intrinsecus ornata sunt fatui pilleum atque collare tintinnabulis redimita gestantis insigni, cetera per singulas plagulas urcei coronati; minuta sunt 17, 28, 79, 80v, 83v adglutinata, vacua 53v, 80br, 131v, 144v—152, nisi quod Guilelmus Baeumker fol. 144v—147 indicem alphabeticum confecit, in quem singulas canticorum praecedentium strophas tamquam integra cantica referens saepius erravit. Exectorum foliorum angustae scidulae apparent inter fol. 52/53, 124/125, 126 127. Litterae foliorum 1—124 saeculo XVI ineunte elegantissime scriptae atque adeo pictae sunt, reliquorum postea aliis manibus tam neglegenter inlitae, vix ut legi nonnullis locis possint, quas scriptas esse a quodam e librariis linguam Latinam parum callente indicio sunt haec vitia: fol. 81r: naüi gentium (pro „navigantium"), naüfra gentium (pro „naufragantium"), miceris (pro „miseris"), fol. 124v hudie (pro „hodie"), fol. 126r: defunctorum, quesimus, peccatus (pro „peccatis"). Omnes cantus exceptis aliquot de resurrectione Christi versibus et sex ad beatam virginem orationibus notis musicis instructi sunt prorsusque praeter titulos Germanicos scripti Latine. Antiphonae, hymni, precationes, responsoria, quae codice continentur, numero sunt circiter 154. Magna eorum pars deprompta est de Breviario Missalique Romano.

Baeumker[1] († 1905), cuius codex quondam erat, in antiqua parte tegumenti haec adnotavit: „Nach einer beiliegenden Notiz ist das Processional geschrieben voer den susten vp dem Schonenberch anno 1533. Jm Jahre 1623 kam es in andere Hände. Wilh. Bäumker Kaplan in Niederkrüchten (Reg.-Bez. Aachen.)", sub quibus verbis plumbo scriptum legitur: „Kat. 12. 5. 06 St." et atramento: „Processionale c. 1533". Scidula illa in codice non iam extat, nec ubi locorum fuerit monasterium monialium „vp dem Schonenberch" reperire mihi contigit. In plagula codici praefixa ad verbum scripta sunt haec:

„hoc preclariſſimo codice quondaꝫ
ſororum monialium Schonēber-
genſium, nunc Colonienſi e bi-
bliotheca amici mei celeberrimi Gui-
lelmi Bæumkeri hymnologi ego
∼·∼ Joannes Linke ∼·∼
SS. Theol. et artis med. doctor, hymnolog⁹.
fructus ſum per menſem maium anno d.
n. ihū. xpi MCMXII, eumque prorſ⁹ ad
verbum nutosqꝫ (sic) exſcripſi, cum alijs
ipſius et precedentis temporis codici-

[1] De vita, scriptis, studiis, moribus eius cfr. *BAEUMK. K. Vol. IIII,* (1912) ed. Iosephus Gotzen p. v—xiii.

bus contuli Sic comprobare michi contigit, hunc codicem non esse descriptum anno mdxxx[1] vt Bæumker9 nis9 chartula nunc deficiente sine dubio recencioris temporis compilauit, ß pau lo post obitum Thome a Kempis ex genuino aliquopiam reperiundo Autographo Thomasiano desumptum, cuius Jlluminator eciam hunc codicem illuminavit. Velint perscrutatores sequentes conferre codices Thomasianos Berolinensem sub signo germ. 8º no. 190, Vindobonensem palatinum no 90Λ9[2] et ʒwollensem in claustro q̊d dicitur Emanuelshuizen no 38. Immo vel eciam ille modicis partes partim intermisse partim adiecte, quas manus plures exarauerunt, desumpte sunt ex alio codice genuino, sed dilacerato, nimis leso et ignobili facto nimirum notissimo Thomasiano interdum (sic) perdito. Sic hic codex vnus prestantissimorum codicum Thomasianorum extat. Est codex seculi xv exeuntis cum additamentis seculi xvj et xvij.

Scripsi Wiederauie [Iteraugie, Και νολειμωνι] calendis Iunij."

T1 = Codex 130 seminarii clericorum Treverici, ad cuius vol. I p. 588 sq. descriptionem haec excerpendo suppleo: In parte aversa tegumenti antici legitur: „(Liber) monasterii Sancti Mathie apostoli . . . . . (?) Eucharii primi treuerorum archiepiscopi extra muros treuerenses." Septem minimum librariorum manibus exaratus est, quas deprehendere mihi visus sum 1) fol. 1–99, 2) fol. 100—131, 3) fol. 132—201, 210–245, 4) fol. 202—209, 5) fol. 248–291, 6) fol. 293—294, 7) fol. 295–298, quarum manuum fol. 100—131 et fol. 132—201, 210 245 similitudine quadam conspicuae sunt. Vacua[3] sunt fol. 46v, 47v, 66v, 87v, 131v, 246, 247r, 266, 272v, 273, 274, 276r, 292, 299.

Fol. 1r—45r: „Incipit tractatus de vera et humili obediencia", quibus verbis minio exaratis atramento superscriptum est: „fratris dominici carthusiensis"[4]; fol. 45v et 46r: Dicta quaedam S. Bernhardi; fol. 48r: „Jncipiunt XII gradus

[1] Scribendum erat mdxxxiii.

[2] Sribendum erat Λ9Λ0, i. a. 7970.

[3] Fol. 276v nihil nisi unum nomen **Rodenberch** continet idque minio transverse scriptum.

[4] De quo Petreius, Bibliotheca Cartusiana, p. 85 inter alia habet haec: „Dominicus N. Cartusiae Treuirensis alumnus, natione fuit Pruthenus. . . . Migrauit ex hac vita anno 1461."

humilitatis Beati Berhardi[1] Abbatis: inascendendo: qui jn regula monachorum describuntur Corde et corpore semper"; fol. 48v: „Incipiunt XII gradus superbie Beati bernhardi abbatis in descendo (sic)"; fol. 59v: „Incipiunt notabilia de caritate:" fol. 67v: „Questio valde bona magistri Gersonis cancellarij parisiensis de detraccione"; fol. 76r: „De meditacione dominice passionis christi Bernhardus"; fol 88r: „Dvodecim abusiones claustri Hugonis de sancto victore"; fol. 100: „Incipit epistola ad quendam cellerarium de instituto marthe et cuiuslibet fidelis dispensacoris (sic) Capitulum primum QVia igitur karissime"; fol. 117v: „Explicit epistola ad quemlibet (sic) cellerarium de instituto marthe etcetera"; fol. 118r: „fratris thome kempis ordinis regularium Incipit epistola ad quendam a ministerio suo absolutum. De recommendacione solitudinis et custodia silencij De recommendacione solitudinis Capitulum primum. KArissime cum esses"; fol. 132—216 farrago dictorum notabilium, quorum auctores feruntur Roysbroec (sic) et Ruysbroec, Jeronimus et Jheronimus, Magister gerardus, Iohannes clymacus, ysidorus, Gilbertus, Augustinus, Haymo, Johannes de scoenhouea, Bona uentura, Bernardus, Gregorius, Crisostimus, Hugo de s. victore, iohannes de gersonno, Ambrosius, Cassianus, quibus aliquot miscellanea interposita sunt velut ex Vitis patrum, ex Horologio aeternae sapientiae, De sacramento altaris, ex Libro apum, De missa, „De defectibus et negligencijs in celebracione misse", „Quomodo se debet sacerdos preparare interiori meditacione ad missam celebrandam"; adduntur fol. 226r—293: „Exercitium Nouiter conversorum per diem", „Contemplacio minor circa horas Canonicas", „Septem gradus contemplacionis", „Ad guidonem abbatem de tribus fontibus"; fol. 295r (D)Er gebrant win ist gud alß meister ypocras bescribit vnd leret . . .", fol. 296r: „Wirtutes vini ardenti (sic) prescripta sunt et cetera", quo triginta versuum carmine praeterea virtutes zingiberis, muscati, caryophylli, cinnamomi, piperis describuntur, quibus institutiones geometricae continuantur. Sed heu satis superque.

T 724 = Codex bibliothecae urbicae Trevericae 724, Cat. mss. 516, Num. loci 1595, foliorum 155 praeter primum et ultimum membranacea chartaceorum, 13,5 × 10,5 cm. Vacua sunt fol. 78, 97—105, 147v—155.

Fol. 2r: Bibl. publ. civ. Trev. 1802.

Fol. 1r: *(m)* Incipit deuotissimum exercicium circa conuersacionem domini ihesu cristi A*(a)*ccedentem desiderij gressibus et ingredientem, fol. 77v: felici exitu merear peruenire ad te. Amen *(m)* Deo gracias ℂ *(a)* Explicit hoc deuotissimum contemplacionis et meditacionis secundum formam oracionis compositum exercicium. 1482· Deo gracias

Fol. 79r: *(m)* Incipit coronula beate marie virginis per doctorum dicta ampliata. D*(a)*Ignare me laudare, fol. 96r: Amen *(m)* Explicit.

---

[1] „Bernhardi" mutatum est in „Benedicti".

Fol. 96v (alia manu): [S]Alue sancta salue pia, fol. 96v: dicens Aue maria gracia plena dominus tecum etcetera

Fol. 106r: *(m)* Incipit Rosarium beate marie P*(a)*Ater noster etcetera, fol. 108r: permittat impetrare digneris Amen

Fol. 108v: *(m)* Incipiunt deuote oraciones ante missam seu communionem deuote dicende.

Fol. 112r: *(m)* Sequuntur deuote oraciones pro graciarum accione post missam seu communionem

Fol. 118r: *(m)* Salutaciones[1] pulcherrime ad membra cristi O *(a)* speciosi pedes domini, fol. 119v: saltim membra computare digneris Amen.

Fol. 119v: *(m)* De conuersacione domini nostri ihesu cristi secundum ordinem oraciones pulcherrime „A[2]*(a)*cedentem desiderij gressibus . . . loquaris ad cor", quibus verbis precatio praeter hic addita vocabula „et vera" fol. 1r consentiens una cum fol. 119v abrupte desinit[3].

Fol. 120r—147r cantica continentur exceptis quattuor Germanicis Latina ex parte cum notis musicis. Quorum cum bona pars ex ipso T 724 edita sit a *MONE* I p. 62 sq., 64, 65 sq., II p. 83 sq., 432 sq. et a Petro Bohn in Monatshefte für Musik-Geschichte, Berlin 1877, IX p. 26—29 et in „Caecilia", Organ für katholische Kirchenmusik, Trier, 1877, XVI, p. 83, 84, 91, 92; 1878, XVII p. 3. 4, alia ex aliis codicibus a *DANIEL* I p. 221, 287, 329, II p. 32, IIII p. 244, V p. 130, a *MONE* I p. 162—167, II p. 256, 355—357, III 423, 424, ab *HOFFM. IDI.* p. 46—50, a *BAEUMK. K.* I p. 334, N. p. 231 sq. 233, a *DREV.* VIII p. 30, XXXII p. 92—96, hic aliquot tantum memorabiliora percurram.

Fol. 120r: *(m)* Incipit planctus sancti bernardi abbatis super passionem dulcissimi domini nostri ihesu cristi S*(a)*Alue mundi salutare[4], fol. 124v: In cruce salutifera.

. . — —

[1] Verba illarum Salutationum paucis variantibus exceptis consentiunt cum Vol. V p. 204, 22—208, 24.

[2] Intra hastulas litterae A bis scriptum est „vacat".

[3] Equidem neque precationis repetitio neque eius abruptio neque duplex „vacat" quid sibi velit capio. Librarione vim memoriae an partem foliorum codici excidisse, an utrumque accidisse putemus?

[4] Et huius „ad pedes" et trium sequentium „Ad genua ihesu", „Ad manus ihesu", „Ad latus ihesu" canticorum, quae *MONE* I p. 167 veri simile esse dicit composita esse a poeta aliquo Francogallico, auctor est Arnulphus Lovaniensis († 1250) testante *DREV. EI.* I p. 323. Eundem planctum constantem e septem canticis integrum exhibet pluribus de eo agens *DANIEL* IIII p. 224—231, tria postrema eorum (1. Ad pectus domini nostri ihesu cristi, 2. Ad cor mellifluum, 3. Ad caput ihesu) multifariam discrepantia *MILCHS.* p. 127—130, duo (1 et 2) *WACK.* I p. 123. *DREV.* L p. 537 et *EI.* I p. 314 paenultimum („Summi regis cor aueto") beato Hermanno Iosepho Steinfeldensi († 1241) tribuit.

Amen Explicit planctus mellifluus. sancti bernardi *(m)* Sequitur coronula beatissime virginis marie A*(a)*ve maria gracia plena ihesus cristus Salutacionem

Fol. 127v: *(m)* Sequitur dulciloquium sancti bernardi[1] ad beatam virginem mariam. cum deuocione dicendum G*(a)*Aude plaude clara rosa[2], fol. 131v: Diebus atque noctibus Amen *(m)* ℭ *(a)* Explicit dulciloquium *(m)* Iubilus beati bernardi Ad mellifluum cor beate marie L*(a)*oquar ad cor tuum o maria

Fol. 132v: *(m)* I*(a)*Hesu dulcis memoria dans vera cordis gaudia sed super mel et omnia . eius dulcis presencia. (cum notis musicis.) „sequitur alia nota sub discantu in alio latere que ad istam non pertinet"

Fol. 133r: *(m)* „Iubilus beati bernardi[3] ad dominum ihesum cristum" Iam bis repetitur strophа folii 132v cum aliis notis musicis, quas *BAEUMK. K.* I p. 383 per „I. Mel., II. Mel., III. Mel." distinguit. In margine secundae repetitionis scriptum est „recta nota", post quod leguntur reliquae strophae: *(m)* N*(a)*il canitur suauius finitae hisce: celestibus secum perfrui sedibus Amen

Fol. 138r: *(m)* Prosa de domino ihesu. O *(a)* dulcissime ihesu qui celo (sic) descendisti, fol. 138v: amem te. Amen

U I = Codex bibliothecae universitatis Traiectinae (= Tiele I p. 9 no. 38, II p. 1), membranaceus, foliorum 101, 22,5 : 15,2 cm, saeculi XV.

Fol. 1r: „Liber fratrum carthusiensium prope traiectum", subtus atramento pallidiore, sed manu, puto, eadem: „conscriptus per confratrem nostrum hectorem ad honorem dei et sancti ambrosij etc."

Fol. 3r: ℭ In isto volumine continentur subscripta ℭJn primis vita beati ambrosij episcopi. et doctoris ecclesie prestantissimi Quam ad instantiam beati augustini. edidit paulinus presbyter.... ℭ Item passio[4] beate agnetis virginis et martiris edita a beato ambrosio [fol. 55r 62r]. Item hini. [id est: hymni] et sequentia de eadem virgine....

[1] Apud *MILCHS.* p. 102 inscriptio haec est: Incipit canticum beati Bernhardi de laude beatae virginis gloriosae dei genitricis Mariae ad septem horas canonicas.

[2] Hoc quoque canticum b. Hermanno Iosepho Steinfeldensi vindicat *DREV.* L p. 536. 540.

[3] Fabulam, qua iubili illius s. Bernardus credebatur auctor esse, abolevit B. Hauréau in: Des Poëmes latins attribués à Saint-Bernard, Paris 1890, p. 63 sqq. Cfr. *DREV. EI.* II p. 37.

[4] Passionis quod multa vocabula memoriam adferunt Orationis de virtutibus et moribus nobilissimae virginis Agnetis, quam edidi Vol. III p. 397—399, id inde videtur explicandum esse, quod Breviarium Romanum ad XXI. Ianuarium multa e Passione a beato Ambrosio conscripta, Thomas autem e Breviario hauserit.

A flexae (˥) in Passione beatae Agnetis adhibitae usurpatione in tribus de ea hymnis sequentiaque abstinetur.

Vi = Codex 7970 bibliothecae privatae imperatoris regis Austriaci familiaeque Caesareae Vindobonensis (Kaiserliche und königliche Familien-Fideikommiss-Bibliothek) in „Die Sammlungen der vereinten Familien- und Privat-Bibliothek Sr. M. des Kaisers. Erster Band. Wien. Druck von Carl Finsterbeck. 1873“ inter „Manuscripta Ecclesiastica“ col. VI ab M. A. Becker hisce adumbratus: „Liber Precum. Cod. membran. saec. XV. Fol. 169 in 8°. min. lingua belgica[1] conscriptus cum cantibus. 7970“, plenius descriptus triumque paginarum eius litteris in lignum incisis ornatus a *BAEUMK. N.* p. 165—167, quo teste foliorum est 151 numeris signatorum cum appendice 14 non signatorum, 14,5 × 10,5 cm. Ac folia quidem I—LXXVII continent 47 cantica Germanica in BAEUMK. N. edita eaque maximam partem cum notis musicis, quorum novem primis singulae considerationes praepositae sunt. Fol. LIII[r] strophae octavae cantici incipientis a „God gruet v suuer maecht „margriet“ versus tertius hic est: „Helpt broeder geriit trouuelic“, quibus verbis Bäumker l. l. p. 160 designari videri arbitratur fratrem Gerardum Franciscanorum coenobii St. Trond prope Lovanium, qui sub finem saeculi XIIII vitas sanctarum Christinae et Lutgardis versibus celebravit. Canticum fol. LXV[v]: „Nv steret ons god in onser noet, Ic beueel my huyden in dyn geboet“ imitatione expressum est e cantico, quod in Chronico Limburgensi ad annum 1356 memoriae traditum est, hoce: „O starker Got, all unse Not | Befelen wir Herre in din Gebot“, quod factum esse compertum habemus a comite Petro ab Arberg[2]. Fol. LXXVIII-CLI Latinas habent sequentias, hymnos, antiphonas, responsoria. In appendice insunt: 1) Colloquium inter magistrum et discipulum de vita spirituali, 2) Canticum:

„Heilicheit en leyt niet in den schyn,
Mer heilicheit leyt in heilich te syn“,

3) Proverbia varia et sententiae poeticae, quibus quasi conclusio quaedam adiecta est cantio modulata: „Dies est leticie in orto[3] regali.“

Codex illuc, ubi nunc adservatur, qua venerit, discimus ex Analectorum Bollandianorum tomo XIIII, Bruxellis 1895, ubi p. 231 haec effunduntur: „Diximus (p. 5, nota 3) . . . nos non potuisse rescire quomodo tum Gielemanni opera, tum ceteri codices ortu belgici, qui in bibliotheca privata Caesaris Austriaci iam reperiuntur illuc devenerint, cum nullum

[1] Lingua Belgica hic vocatur ex antiqua regionis appellatione, quam pro linguae cognatione rectius Germanicam dixeris. Nam illa lingua, hodie flämisch (niederländisch), nihil aliud erat quam dialectus linguae Germanicae.

[2] Cfr. BAEUMK. N. p. 161 et 233 sq., BAEUMK. K. I p. 451 sq. No. 200.

[3] Sic vitiose pro „ortu“.

documentum ea de re neque in ipsa hac bibliotheca neque in archivis publicis repperissemus"; p. 232: „Felici quodam casu contigit totam hanc rem iam plane compertam habere. Exstat enim Bruxellis in archivo ministerii belgici rerum exterarum ingens quoddam volumen cui titulus est dorso inscriptus: *M. Beydaels à Vienne, 1796 -1811*, alius autem fol. 2r: *Correspondance au sujet des archives de la Chambre héraldique transportées à Vienne 1794*. Ex variis notis, epistulis et schedulis quibus refertum est hoc volumen patet equitem Beydaels de Zittaert, qui saeculo proxime elapso Camerae heraldicae praepositus erat, 21a iunii 1794, cum exercitus Gallorum Belgium invaderent, Bruxellas reliquisse et secum navi advexisse primo in Hollandiam, dehinc Wirceburgum et tandem Vindobonam in Austria, res omnes, libros nempe et pretiosam supellectilem, quae ad Vellus aureum et Cameram heraldicam pertinebant. De libris tum impressis tum manuscriptis ab anno 1794 ad annum 1803 diuturna orta est controversia inter Beydaels et officiales imperii Austriaci, hos quidem contendentes libros omnes et codices, utpote qui Camerae heraldicae fuerant, imperio Austriaco tradendos esse, illum vero asseverantem haud minimam partem ex illis libris et codicibus suam privatam constituisse bibliothecam. Litem diremit ipse Beydaels libros plurimos imperatori austriaco dono concedendo."

Z = Codex[1] 434 bibliothecae Emmanuelshuizen Zwollensis, quae domus sustentandis mulieribus pauperculis testamento antiquitus destinata est, folium primum membranaceum habet, in alterius chartacei parte antica legitur: „Iste liber pertinet in domo clericorum zuollis." In folio sequenti a1 signato „Incipit deuotus tractatulus domini Gerardi zutphanie de spiritualibus ascensionibus" typis descriptus, in fol. rIIJ et ipse typis descriptus tractatulus nescio cuius auctoris „De quatuor in quibus incipientes deo seruire debent esse cauti si proficere volunt", quos tractatulos excipiunt primum chartacea duo folia vacua, deinde triginta duo manu scripta, 14 × 10 cm, saeculi XV exeuntis vel XVI ineuntis. Continent praeter ea, quae supra p. 251—268, 247, 246, 268—282 sub numeris VII—XIX, IIII, III, XX—XXV edidi, haec: Fol. 1r: Incipiunt ymni[2] petri damiani de quatuor nouissimis GRAui me terrore pulsat", fol. 2v: „Antiphona de morte MEdia vita in morte sumus", fol. 7v: „Ymnus de extremo judicio IOcundantur et letantur simul omnes reprobi", fol. 9r: „Ymnus de penis dampnatorum O QUam dura (sic) quam horrenda", fol. 13v: „Anti-

[1] O. A. Spitzen, Nalezing op myn Thomas a Kempis als schryver der navolging van Christus gehandhaafd, Uttrecht, I. L. Beyers, 1881, p. 58—83 codicem descripsit, decem eius carmina, quae quis condidisset, ad id tempus ignorabatur, edidit eorumque auctorem Thomam a Kempis esse demonstravit.

[2] Omnes codicis hymni et antiphonae notis musicis instructa sunt.

phone de vera requie et consolacione in deo Svsum (sic) omnia et in omnibus requiesces", fol. 26v: „ymnus de regno celorum. Ad perhennis vite fontem mens sitit nunc arida", fol. 31r: „De sponsa xp̃i que est ecclesia et eius gloria. URbs beata iherusalem", fol. 31v: „FIli, non te frangant"[1], fol. 32v: „De morte et de contemptu mundi", cui titulo minio, ut adsolet, exarato contexta oratio subiecta non est, inferiore paginae dimidio vacuo relicto.

2. Nequiquam desudavi in sedecim codicibus conferendis, quorum Thomae a Kempis tractatus conlatos ex editionibus partim descriptos partim translatos esse intellexi. Sunt autem

a) hi quattuor, qui, unde descripti sint, indicavi Vol. I p. 380. 585. 590: Gaesdoncanus foliorum 273, Gandavensis 577, Osnaburgensis Dγ71, Trevericus 134. Atque huius quidem scriptor iisdem litteris nitidis, quibus totum codicem exaravit, haec adnotavit fol. 3r: „Ego frater Henricus dam de Cliuis natus sum in festo Agathe virginis ac martiris Anno domini. 1·4 87· Et intraui religionem Anno domini. 1·5·04· Et feci professionem in festo purificationis Marie perpetue virginis. Anno domini. 1·5·05· Et fui ordinatus ad Sacerdotium Jn vigilia Pasche. Anno domini. 1·5 10· Et celebraui primitias meas. secunda Feria post festum Penthecostes anno prescripto." et fol. 176v: „Explicit tractatulus dictus Hospitale pauperum. De contemptu omnium bonorum mundanorum Scriptus quoque per me fratrem Henricum Dam de Cliuis. Monachum professum in Monasterio sancti Mathie apostoli. Extra muros sancte Ciuitatis Treuerensis, Anno domini. M.v℃xviij."

b) hi duodecim: Codex bibliothecae regiae Berolinensis 130, cuius tantum „Ortulus rosarum" ex *Pr* pendet; cfr. Vol. I p. 365.

Codex bibliothecae regiae Bruxellensis 2210 (5023—25), in cuius folio 116v non cum van den Gheyn „Anno Domini 1545", sed „Anno. D. 1565" legendum est. Descriptus ex *Asc*.

Codex bibliothecae urbicae Coloniensis GB 82. Descriptus ex *Pr*. Fol. 52r: „Explicit vita beati wilhelmi patris nostri per fratrem arturum canonicum quondam regularem abbreauita. (sic, in marg. pallidiore atramento: á) sed per fratrêm Leonardum de ruremunda in monasterio Sancti Martini maioris in colonia conscripta Anno domini Millesimo quadragentesimo (sic) nonagesimo septimo."

Codex bibliothecae urbicae Coloniensis W 138, saeculi XV exeuntis, continet totam *Pr* exceptis meae editionis canticis III, XIIII, XXII, XXIII, CIIII *Pr* in Germanicum sermonem versam.

---

[1] Sine titulo; est De imitatione Christi libri III cap. 47. Idem capitulum solum legitur in codice Osnaburgensi Dγ71 fol. CCIXr, quem descripsi Vol. I p. 356 sq.

Codex Guelferbytanus 707 descriptus et ipse ex ea, quam modo commemoravi, editione (Hain * 7622), continet praeter Gersonis operum supplementa et quaedam alia fol. CXLVIII —CLVII Thomae a Kempis epistulas I—V.

In folio tertio numeri nota non distincto haec scripta sunt: Liber monasterij beati pancracij martiris Jn hamersleue Ordinis canonicorum regularium Halberstadensis dyocesis Jn quo supplentur diuersa opuscula. sermones epistole. carmina et cetera. magistri iohannis de gersonno. que non habentur in quatuor voluminibus nostris impressis[1]: ... Jtem quinque epistole deuote", super quod extremum vocabulum scriptum est: „fratris thome kempis" alia antiqua eademque manu, quae fol. CXLVIII super titulum: „Epistola incitatiua ad spiritualem profectum facta a quodam regulari" scripsit: „Epistolae sequentes quinque thome kempis sunt Et alie tres. habentur inter opuscula eius fo. c 31"[2] et post eum addidit: „scilicet fratre thoma de kempis canonico", quibus additamentis errorem videmus ab ipsis librariis animadversum et correctum esse.

Codex bibliothecae universitatis Lipsiensis 622, cuius fol. 17v—37v descripta sunt ex *Nor* fol. CLXVIII—CLXXVIII eodem servato tractatuum ordine, nisi quod Manuale parvulorum non post canticum De invocatione nominis Iesu Mariae et sanctorum, sed post Alphabetum monachi exaratum est. Fol. 191v subscriptum est: „Anno gracie 1506."

Codex bibliothecae universitatis Marburgensis D 32 quas fol. 176v, 179r, 196v continet sub nomine magistri Johannis Gersonis cancellarii epistulas descriptas ex editione operum Gersonis Argentoratensi anni 1488 (Hain * 7622), eas Thomae a Kempis esse II, IIII, I non vidit C. F. Hermann in Catalogo codicum bibliothecae academicae latinorum edito Marburgi 1838 p. 53 sq.

Codex bibliothecae regiae Monacensis 468 B continet fol. 98r—103r Hortuli rosarum capita I –X et capitis XI titulum descripta ex *Ba*. Fol. 97v legitur: „† 1500 11 nouembris."

Codex bibliothecae regiae Monacensis 12522, anni 1495, descriptus e *Nor*, a Carolo Halm tumultuaria opera tractatus praeter alia continet cum a me edita Voll. II, III, VI tum Dialogum noviciorum, Consolationem pauperum, Breve epitaphium monachorum, Vitam boni monachi, „Rigmum de vita ihesu imitanda", „De inuocacione nominis ihesu marie et sanctorum", Manuale parvulorum, Doctrinale iuvenum, Hospitale pauperum.

Codex bibliothecae universitatis Traiectinae 184, descriptus ex *Asc*. In folio primo legitur: „Humilis et pauperculus

---

[1] Significatur editio Joh. Gersonis operum omnium, Colonie, Koelhoff, 1483—84 (Hain * 7621), cui epistulae Thomae a Kempis non sunt insertae. Cfr. J. B. Schwab, Joh. Gerson, p. 779 not. 5.

[2] Epistolae illae insunt in *Nor* fol. CXXXv—CXXXIIIIv.

frater Wilhelmus Dieber hunc librum elaborauit et scripsit Ad laudem christi Anno domini xvc 33. Wil Diebier prior"

Codex bibliothecae universitatis Traiectinae 383, descriptus ex *Pr*. In antica parte folii secundi non numerati scripta sunt haec: „1591. Sum Ioannis a Reness Canonici Traiectensis Sancti Ioannis et Decani."

II. EDITIONES:

Pr, cfr. Vol. I p. 379 et 586. Ceteras Thomae a Kempis operum omnium editiones, quarum saepissime in hoc volumine laudatas invenies *Nor* i. e. Norimbergensem anni 1494, *Asc* i. e. Ascensianam anni 1523, *SII* i. e. Sommalianam secundam anni 1607, enumeravi Vol. I p. 381 et 433.

Ba = Hortulus rosarum de valle lachrymarum continens egregias et deuotas sentencias. 1499. Nihil sine causa. OLPE. [Basileae opera et expensis Iohannis Bergman de Olpe] = Hain-Copinger 8939. Descriptus est libellus etiam in: „Die Inkunabeln Nassauischer Bibliotheken. Verzeichnet von Dr. Gottfried Zedler. Festschrift ... Wiesbaden 1900". p. 44 No. 351.

IP = Ortulus rosarum liber devotus, cunctisque deum querentibus valde necessarius, nuper exactissime correctus et emendatus. Item vtile quoddam breue documentum his per[1] sepenumero coufitentur (sic) Item oratio deuotissima beati bernardi ad filium iesum et matrem eius Item alia oratio eiusdem bernardi ad solam matrem [Figura in lignum incisa duorum leonum sub arbore clipeum litteris IP ornatum tenentium.] Iehan petit.

Foliorum est 24, signatorum aii—aiiii, bi—biiii, ci cii, 12,6 × 8,5 cm; in fine: ¶ Explicit ortulus rosarum Nouiter impressus, pro Johanne petit commorante in vico sancti Jacobi ad intersignium leonis argentei

Bo[1] = Ortulus rosarum de valle lachrymarum Claude Iaumar.

Cum novem figuris in lignum incisis. Foliorum est 24 signatorum (a) b c. In fine: Ortulus Rosarum de valle lachrimarum. Finit feliciter. Cfr. Brunet, Manuel du Libraire, Paris 1863, t. III col. 245 et Supplément, Paris 1878, t. I col. 106. Panzer II p. 306.

Weyß = Das Picardiſch Geſang= buch | oder Kirchenordnūg der Chriſtli= chen Bruderſchafft Picarden genant .... MDXXXIX"[2], in cuius fol. CLXXXIII[v], quae pagina libri

[1] Sic per compendium mendose; corrige: qui.

[2] Exemplar possidet bibliotheca universitatis Gottingensis libri sic signati: H·E·Rit· 58[a], quem descripsit R. Wolkan, Böhmens Antheil an der deutschen Litteratur des XVI. Jahrhunderts .... Prag 1890. p. 9. Ibidem p. 8 describit „Ein New Geseng buchlen MDXXXI ...", quod appellat „*Das*

ultima est, legitur: „Gedruckt inn der Löblichen Reychſtatt Vlm inn Schwaben durch Hanſen Zurel. In verlegung des Erſamen Jacobs Grüner. Und volendet am fünfften tag des Augſtmonats. Im 1539. jar ...[1] Liber quinquaginta tria cantica continet cum *NYST.* communia, Latina continet nulla. . . . .“ Praefationi subscripsit „Michael Weyß“.

NYST. = Eyn ſchoen Geiſtlick Sangboeck, Dpt nye mit allem vlite tho gerichtet, ... Dorch Chriſtianum Adolphum Nyſtadenſem[2]. In pagina paenultima: Gedruckt tho Magdeborch, dorch Chriſtian Roedinger. [c. 1542]. Continet liber rarissimus[3] foliorum praeter tria numeris non notata praeligata et quinque eiusmodi in fine adligata CCXCIX plus CC cantica cum Latina tum Germanica. Germanicorum viginti sex edidit *WACK*[4], quorum quattuordecim etiam in *B 190* leguntur. Is liber, quo praeter alios se usum esse editor in praefatione scribit, sic inscriptus est: Das Picardiſch Geſangbůch ... rell., ut modo indicavi.

GERS. = Opera et tractatus magistri Iohannis de Gerson ... Mccclxxxviii [Argentorati, Ioh. Prüss] (Hain* 7622). In hac edltione undecim tractatus, quos ei adnexos esse in tabula generali voluminis tertii titulis perhibitis indicatum est, omnino desunt; cfr. Vol. I p. 589 sq.

DVPIN = Ioannis Gersonii ... Opera omnia ... Opera et studio M Lud. Ellies du Pin ... (v voll.) Antwerpiae [Amsterdam.] MDCCVI.

In huius operis vol. I „series operum Gersonii“ praemittitur, e quibus p. 8 inter opera tomi tertii ponuntur: „Epistolae Spirituales ad diversos. Collat. ad Mss. Codd. Vict. 463 et 698.“ Iam quae tom. III col. 741—758 sub

---

erste deutsche Gesangbuch der böhm. Brüder. Cfr. *WACK.* I No. 309 et p. 549.

[1] Exemplar possidet bibliotheca Gottingensis.

[2] *WACK.* III p. 907 pro „Nystadensis“ scribentem „Neuſtätter“ opinări patet illum ab aliquopiam permultorum Germaniae locorum, quibus nomen Neustadt est, nomen habere. Equidem potius crediderim eum oriundum fuisse a Nystad emporio Fenniae quondam Suecorum maritimo, quod cum Magdeburgo ad Albim sito vel cum alia civitate Germaniae transrhenanae foederata fortasse mercatorum commercio coniunctum fuerit. Quae coniectura et litterato orthographiae consensu et Christiano Adolpho nominibus in illis regionibus frequentatis commendatur. Ceterum Nystad ne posterioribus quidem temporibus urbs ignobilis fuit pace inter Russos et Suecos anno 1721 ibi facta.

[3] Singula exemplaria eius possident bibliothecae universitatum Erlangensis et Gryphiswaldensis, possidebat olim nunc, ut videtur, deperditum Helmstadensis, descriptum a *WACK.* I p. 416—419.

[4] Plenum titulum vide infra p. 522.

titulo: „IOANNIS GERSONII Doctoris et Cancellarii Parisiensis EPISTOLAE QUAEDAM“ repetitis verbis: „AD MSS. Codd. Vict. 463 et 698“ leguntur octo epistulae, earum prima petita est e Vict. 463 fol. 129v, tertia e Vict. 698, fol. 104v qui hodie adservantur in bibliotheca publica Parisiaca no. 14907 et 14902, sed nulla utique quinque epistularum Thomae a Kempis, quae col. 746—758 leguntur, undecumque sunt sumptae, in illis codicibus est. Rem ita se habere rogantem me humanissime edocuit Henricus Omont, librorum manu scriptorum illius bibliothecae conservator doctissimus. Ceterum lectiones Dupinianas conferenti mihi multae earum ad arbitrium factae esse visae sunt.

III. LIBRI VARII ARGVMENTI:

BAEUMK. K. = **Das katholiſche deutſche Kirchenlied in ſeinen Singweiſen von den früheſten Zeiten bis gegen Ende des ſiebzehnten Jahrhunderts. (Vier Bände.) ... von Wilhelm Bäumker. Freiburg im Breisgau. Herder'ſche Verlagshandlung. 1886—1911.**

BAEUMK. N. = Niederländische geistliche Lieder nebst ihren Singweisen aus Handschriften des XV. Jahrhunderts. Von Wilhelm Bäumker (in: Vierteljahrsschrift für Musikwissenschaft ... Leipzig, Breitkopf & Härtel) 1888, p. 152—254 et 287—350.

Becker, cfr. Vol. II p. 434.

CHEV. = Repertorium hymnologicum. Catalogue des chants, hymnes, proses, séquences, tropes en usage dans l'église latine depuis les origines jusqu'à nos jours par le chanoine Ulysse Chevalier ... (Quatre tomes) Louvain ... 1892—1913. Numerus ultimi canticorum, quorum initia in hoc opere consignata sunt, est 42 060.

DANIEL = Thesaurus hymnologicus sive hymnorum canticorum sequentiarum circa annum $\overline{MD}$ usitatarum collectio amplissima. Carmina collegit, apparatu critico ornavit, veterum interpretum notas selectas suasque adiecit Herm. Adalbert. Daniel ... Tomus primus ... Halis ... MDCCCXLI, tomus secundus—quintus Lipsiae MDCCCXLIV—MDCCCLVI.

De Coussemaker, cfr. Vol. III p. 402.

DREV. = Analecta hymnica medii aevi ... herausgegeben von Guido Maria Dreves und Clemens Blume Leipzig, R. Reisland, 1886—1911, 53 Hefte.

DREV. EI = Ein Jahrtausend Lateinischer Hymnendichtung. Eine Blütenlese aus den Analecta hymnica mit literarhistorischen Erläuterungen von G. M. Dreves Dr. theol. Nach des Verfassers Ableben revidiert von Clemens Blume S. I. Zwei Teile. Leipzig, O. R. Reisland, 1909.

Hirsche, cfr. Vol. II p. 435.

HOFFM. BHF. = Bibliotheca Hoffmanni Fallerslebensis, Leipzig 1846.

HOFFM. HB. = Horae Belgicae, studio atque opera Henrici Hoffmann Fallerslebensis. Partes XII, 1830—1862; prima: Vratislaviae . . . secunda: Holländische Volkslieder, ibid. 1833, decima: Niederländische geistliche Lieder des XV. Jahrhunderts. . . . Hannover. Carl Rümpler. 1854. . . .

HOFFM. IDI. = In dulci iubilo nun singet und seid froh, ibid. 1854.

LINKE = Studia in fasciculis foliisque manu scripta, quae partim ipse partim vidua eius utenda mihi commodavit.

MILCHS. = Hymni et Sequentiae . . . in lucem prodidit Gustavus Milchsack . . . Halis Saxonum . . . M DCCC LXXXVI.

MOLL = W. Moll, Johannes Brugman, . . . twee deele, Amsterdam, 1854.

MONE = Lateinische Hymnen des Mittelalters, aus Handschriften herausgegeben und erklärt von F. J. Mone. . . . Drei Bände. . . . Freiburg im Breisgau. Herder'sche Verlagshandlung, 1853—1855.

Pohl, cfr. Vol. II p. 435.

Puyol Descr., cfr. Vol. II p. 436.

SPITZEN = Nalezing op mijn Thomas a Kempis als schrijver der navolging van Christus gehandhaafd, benevens tien nog onbekende cantica spiritualia van Thomas a Kempis door O. A. Spitzen oud-hoogleeraar te Warmond, pastoor te Zwolle. Utrecht — J. L. Beijers — 1881.

WACK = Philipp Wackernagel, Das deutsche Kirchenlied. Fünf Bände. Leipzig, Teubner, 1864—1877.

Quae praeterea doctrinae subsidia adhibui, eorum titulos, prout opus erit, suis quosque locis indicabo.

B. SVBSIDIORVM AESTIMATIO VSVSQVE.

Codicum librorumque, quibus in huius voluminis verbis constituendis usus sum, quis e quo pendeat, cum in nullo fere certo definire, in aliquibus utcumque conicere mihi contigerit, in eo consistendum erit, ut proprietatibus quibusdam cognationibusque eorum propositis, quorum lectiones ut praestantiorum in singu-

lis tractatibus recensendis recipere visum sit, tractatuum ordinem secutus deinceps exponam.

I. HORTVLVS ROSARVM.

Subsidiorum optima sunt *Pr K7 Lu*, pessima *Co L Mg Ba Bo*[1] *IP*, media *Bo br*[3] *br*[4] *K2 Le No*, ita quidem, ut *Bo K2* multis aut neglegenter scriptis aut mendose mutatis turpati sint, *Bo* perraro, *Le* saepius cum deterioribus, *No br*[3] *br4* cum melioribus interdum faciant. *K9* et *br*[5] nullo paene numero sunt, hic, etsi e melioribus codicibus est, quia pauca tantum excerpta habet et ne ea quidem sine lacunis aut integra, ille, quia Hortuli rosarum unum capitulum XVII exhibet insuper aptus aut ex ipso *L* aut ex eodem, quo *L*, exemplari. Artiore autem quasi cognatione continentur *K7* omniumque subsidiorum praestantissima *Pr*, quae adversus omnes codices nonnumquam inter se consentiunt. *Bu* denique, qui in Hortulo rosarum paene totus cum *Nor* et in extrema parte inde a 49, 15 cum *Ba* fere facit, ex his pendere dicerem, nisi temporum ratio obstare videretur, videlicet annus 1481 scidulae adglutinatae, anni 1494 et 1499 editionum, quamquam haec dubitatio cum ipsius scidulae fide sublesta, tum serie canticorum „Adversa mundi tolera“ et „Vitam Iesu Christi stude imitari“ in *Nor* et *Bu* eadem minuitur, quae consensio non solum lectionum parilitate, sed etiam in Vitae monachi p. 159, 21 eadem utriusque libri orthographia „abijcere“ firmatur. At

rursus repugnat clivis (֯)[1] in Alphabeto monachi codicis undeviciens obviae, a *Nor* prorsus absentis usus diversissimus, ita ut, quid auctoritatis *Bu* omnino tribuendum sit, iudicio adhuc fluctuem.

His consideratis quae quoque loco lectio recipienda esse videatur, in universum facile erit disceptare, difficile iis tantum locis, quibus optima subsidia inter se dissentiunt, qui tamen dissensus conexu sententiarum et usu sermonis, si fieri poterit, in auxilium vocatis plerumque componetur. Haec quam recte iudicaverim, ex Adnotatione critica vel maxime patebit, in qua cum binorum vel plurium codicum librorumque variantes lectiones integras exhibiturus sim, singulorum discrepantes excepta *Pr* silentio praeteriturus, solitariarum quantus sit numerus, ne prorsus ignoretur, earum in nonnullis codicibus has summas computavi, quibus exempla vocabulorum transmutatorum, interpolatorum, omissorum, prave scriptorum aliterve corruptorum comprehenduntur. Quorum summa est in *K7* 5, in *Bo* 134[2], *br*[3] 25, *K2* 34, *Le* 39, *No* 43, *L* 57.

II. VALLIS LILIORVM.

Sua fata non solum pro captu lectoris libellos habere, sed etiam pro codicum,

[1] Clivis in *A2* adhibita est eiusdem libelli locis XVI, in *Pr* XVIII, quorum XIIII consentiunt. *Bu* duobus tantum locis (319, 13 expendas ֯ et 320, 25 committe ֯) cum *A2*, uno (319, 13 expendas ֯) cum *Pr* consentit.

[2] In his sunt 45 transmutationes vocabulorum.

quibus servati sunt, numero[1], insigni Vallis liliorum exemplo declaratur. Haec enim etsi Hortuli rosarum, cuius quot extent codices, modo vidimus, et argumento et oratione paene gemella est, tamen ne unum quidem eius codicem ex editionibus vetustis non descriptum investigare mihi contigit, nisi quod ex *K9* capitulum XV in usum meum vertere licuit. Huius infortunii unicum solacium fuit praestantia editionis *Pr*, cuius tamen nimia menda typographica inutiliter enotare nolui.

III. CONSOLATIO PAVPERVM.

In hoc quoque tractatulo recensendo *Pr* potissimum, ne dicam solam, sequendam fuisse Adnotationem criticam comparanti apparebit, cum praeter eam conlati *br*[1] et *Ml* ad hanc vix ullius momenti sint.

Neque melius habent tractatuli hi quinque praeter *Pr*, quod sciam, aut nullis ad usum bonis aut nisi iuxta scriptis subsidiis non servati:

IIII. EPITAPHIVM MONACHORVM *(br*[1]*)*,

V. VITA BONI MONACHI *(Ml)*,

VI. MANVALE PARVVLORVM,

[1] Cfr. Terentiani Mauri De litteris, syllabis et metris liber. Recensuit Carolus Lachmannus. Berolini A. 1836. v. 1286.

VII. DOCTRINALE IVVENVM [1], VIII. HOSPITALE PAVPERVM.

IX. Iam adgressurus sum partem omnium, quotquot in his Epilegomenis tractantur, longe difficillimam, quaestionem dico de

CANTICIS.

Cantica quae, qualia quotve fuerint, nescimus, cum de ea re nihil memoriae proditum sit praeter tabulae duodequadraginta „librorum et tractatuum fratris thome kempis“ [2] ab anonymo intra annos 1471 et 1488 confectae verba haece: „Liber cantualis maior. 37. Liber cantualis minor. 38.“ *LINKE* 37 *Ka*, 38 *Z* esse opinatur. At libros „cantuales“ aetatem tulisse veri simile non est, certe omnibus Thomae operum editoribus ignotos fuisse in promptu est, cum in antiquissimis editionibus tantum sex, in Sommalianis viginti cantica typis expressa sint. Atque tantillum eorum numerum fuisse quis crediderit? Quod recte dubitari potuisse *SPITZEN* evicit, qui decem cantica [3] ad id tempus ignota e *Z* Thomae p. 58—83 docte vindicavit [4].

[1] Quod Tiele (cfr. Vol. I p. 348, 9) codice Traiectino 384 fol. 31a—36b „Doctrinale seu manuale iuvenum“ contineri scribit, errat; immo potius est „Brevis admonitio spiritualis exercitii“ a me Vol. II p. 419—432 ex *A* edita.

[2] Cfr. Vol. I 391, V 385 sq.

[3] Edidi supra p. 251 sqq. sub VIII—XIII, XX, XXI, XXIIII, XXV.

[4] Spitzenio adsensus est Ludovicus Schulze in „Blätter für Hymnologie.... herausgegeben von Albert Fischer.....

Horum canticorum septem a me numeris VIII—XII, XXIIII, XXV signata una cum Thomae decem [1] aliis auctorem ignorans e *Ka* iam ediderat *MONE* I pp. 51 sq., 66—72, 312—316, 356 sq., 361—365, 383—385, 392, 425—437, quae decem Thomae esse primus, quantum scio, *LINKE* vidit recepitque ea cum triginta septem aliis carminibus in duos fasciculos manu scriptos, quorum uno temporis nota destituto, sed post annum MDCCCLXXXII conscripto continentur „Thomae a Kempis hymni, sequentiae et rhythmi sacri tam ex libris impressis quam manu scriptis collecti a Ioanne Linke, ss. th. D.", altero Altenburgi Kal. Octobribus anni MDCCCXCVIII absoluto „Thomas a Kempis sämtliche Lieder, in kritischer Bearbeitung aus 3 Autogrammen, 3 Handschriften fremder Hand, 3 Incunabeln und 3 späteren Sammelwerken mit den originalen Melodieen zum ersten Male vollständig herausgegeben von D. Johannes Linke. Verlagsort. Verlag. Jahr" [2], numero LX mea sententia partim adulterina. Neque in eo numero adquievit, sed ibidem p. XLIII se in codicibus circiter XXX, in quibus ignota Thomae cantica latitarent, aucupandis occupatum esse fassus novos usque conquirebat tertiamque canticorum recensionem parabat. Quid quod

und Johannes Linke..... Altenburg.. 1886..... Richard Hiller..." p. 82—85.

[1] Edidi supra p. 283—324.

[2] In eiusdem folii parte aversa scriptum est: „Herrn Dr. theol. Wilhelm Bäumker in alter treuer Freundschaft gewidmet."

v Kal. Iunias anni MDCCCCXII eiusmodi codices etiamtunc extare XLI mihi scripsit atque indicem conficere coepit, in quem ultimis vitae suae annis[1] initia DCXVII canticorum, quae Thomae esse credebat, paulatim rettulit.

Postremus *DREV.* vol. XLVIII p. 475—514 (ā. 1895) Thomae hymnos XXXVI praeter cetera subsidia usus *Vi* a se reperto edidit omissis aliquot canticis a suo hymnorum corpore alienis neque ex *Ka* recepta genuina esse ullis argumentis probans.

Drevesiana editio iam excipitur hac mea cum aliunde tum ex *Vi*[2], *B 190*[3],

---

[1] Obiit mortem VII Id. Martias ā. MDCCCCXIIII.

[2] Ex *Vi* recepi omnia cantica exceptis theotiscis et his latinis, quae aliorum vel auctorum vel saeculorum esse testantur quos iuxta scripsi: fol. LXXXI[r] Salutaris stella maris (DREV. L p. 430—432, CHEV. 17784); fol. LXXXVI[r] Gaude virgo mater cristi (DREV. XXXI p. 197, CHEV. 27206); fol. LXXXVIII[v] Gaude maria virgo cunctas hereses (Breviar. Roman. ad diem XXV Martii, CHEV. 27007); fol. LXXXIX[v]: Inuiolata intacta et casta (CHEV. 9093, coll. 9096); fol. XC[v] Alma redemptoris mater (DANIEL II p. 318, CHEV. 861); fol. XCII[r] Ave preclara maris stella (MONE II p. 355—59, CHEV. 2045); fol. XCIII[v] Te matrem dei laudamus (MONE p. 229—31, CHEV. 20156); fol. XCVIII GAude celestis sponsa (DANIEL II p. 175, CHEV. 6739); fol. CI[r] Ave maria Aue venerabilis mater; fol. CXLVI[r] Avdi tellus audi magni maris nymbus (DANIEL I p. 350, IIII p. 292, CHEV. 1490. 1491).

[3] Ex *B 190* non recepi cantica theotisca nec mixta nec haec mere latina: foll. 5[r] Dies est leticie nam processit hodie; 5[v] et paululum discrepans 25[v] PVer natus in bethleem; 6[r] Pver nobis nascitur; 6[v] EN trinitatis speculum; 7[r] UErbum caro factum est (— In hoc anni circulo); 9[v] AD festum leticie. nos inuitat hodie; 12[v] HEc est mater domini sanctissima; 15[v] REgi psallens hec contio; 24[r] IN natali domini. gaudent omnes angeli; 26[r] GAudent in domino in hoc solempnio; 29[r] Iste confessor domini sacratus; 29[v] NIcolai solempnia; 30[r] DIgne colat ecclesia hec preclara solempnia; 30[v] BEnedicamus deuotis mentibus; 31[r] MAgnum nomen domini emanuel; 32[r] PRocedentem

B 280 aucta LXXIIII canticis [1], quorum in Linkiano quoque indice LXX adsunt, IIII a me sub numeris XC—XCII, CIIII posita desunt. Atque ex *Vi* in numerum redegi XXXVI—LXIIII, ex *B 190* LXV—LXXXIX, ex *B 280* XC—XCIII. Quod me recte fecisse ut legentibus persuadeatur, paulo altius res repetenda est.

In qua disquisitione proficiscendum est ab iis canticis, quae ab omnibus huius rei intellegentibus hodie censentur Thomae esse, videndumque, in quibus praeter primarios codicibus illa inveniantur. Sic secundariis repertis ordine iam vocantur si qui restant his aequaliter cognati. Sed res quo pacto habeat, apte inlustrabitur tabula, quam infra posui, in qua iuxta numeros canticorum sub siglis codicum idem canticum continentium asteriscum adposui.

sponsum de thalamo; 32v A solis ortus cardine; 34r Corde natus ex parentis; 39v Uox dicentis. clama; 40v Ave maris stella; 42v BEnedictum sit dulce nomen domini; 43v BEnedicamus celestis filio; Qvem pater ab matre gignit; 44r REx natus pridem nunc primo nascitur; 44v Contemplator trinitatis. speculum virginitatis; 55v Alleluya. (octiens) Surrexit Christus hodie. humano pro solamine; 55v Aue maria grā plena; 62r TE matrem dei laudamus; 65r GAude virgo mater christi; 66r Kyrie magne deus potencie; 67v IHesu dulcis memoria dans vera cordis gaudia; 69v REgina celi. Quam pulchra es; 71r ENixa est puerpera. letetur contio; 71v Qvem nunc virgo peperit; 72r Qvem ethera et terra atque mare nōn prevalent; 81v Quidam triplo metro salutando; 83r Ave maria genitrix pia; 84v O virgo spes humilium; 85r SAlue celi digna; 88r Marie virginis fecundat viscera; 93v SAnctus Sanctus Sanctus dominus deus sabaoth; 94v GAude ioseph fili dauid; 174v Frigoribus natus. est noctis tempore natus; 183v Sanctus. O quam dulciter voces ibi resonant.

[1] Ne me reprehendas, quod nonnulla non lyrice, sed strophice vel metrice, alia soluta oratione composita (velut VII, XV—XIX, CIIII—CVI) canticis inseruerim, non habebam, ubi haec inter cantica inventa alibi adposite conlocarem.

Numeri cantic.	A 2	Pr	Z	Vi	B 190	B 280	K 10	br 2	T 724	S 979	B 1	R	Ml
I	✱				✱								
II	✱	✱											(✱)[1]
III	✱	✱	✱										S
IIII	✱		✱	✱	✱	✱	✱	✱	✱	✱			✱
V	✱										✱	✱	Ml
VI		✱											(✱)[1]
XIIII		✱	✱				✱						
XXII		✱	✱										
XXIII		✱	✱										

	Z	Ka	Vi	B 190	Ml	A 1983
VIII	✱	✱			✱	
IX	✱	✱			✱	
X	✱	✱				
XI	✱	✱				
XII	✱	✱				
XIII	✱		✱	✱		
XX	✱		✱	✱		
XXIIII	✱	✱	✱			
XXV	✱	✱	✱			
XXVI		✱				✱

[1] (✱) ea denotantur cantica, quae *Ml* ex *Pr* descripsisse veri simile est; cfr. p. 509.

Numeri cantilorum	*Vi*	*B 190*	*T 724*	*S 979*		
XXXVI	*	*	*	*		
XXXVII	*	*			*Clm 716*[1]	
XXXVIII	*	*				
XLI	*	*			*	
XLII	*	*				
XLIII	*	*				
XLIIII	*	*			*VIO 113*[1]	*Clm 2992*[1]
LV	*			*	*	*
LVIII	*	*		*L 1305*[1]	*NYST*	*Clm 14185*[1]
LXI	*	*				*B 280*
LXIIII	*	*	*	*	*	*

	B 190	*NYST*	*S 979*	*B*	*B 280*
LXVI	*	*			*
LXVII	*	*			
LXIX	*	*	*		*
LXX	*	*			
LXXXIIII	*			*	

	B 280	*K 10*	*Mi*	*br*	*M 430*	*S II*	*Ho*
XCII	*					*[2]	
XCIII	*	*	*			*	
XCIIII				*		*[3]	
XCV						*	*
XCVI					*	*	

[1] Quae e codicibus bibliothecarum regiae Monacensis *Clm 716, 2992, 14185*, Vratislaviensis universitatis *VIO 113*, Lipsiensis *1305* a me non visis attuli, ea ex adversariis Linkianis excerpsi.

[2] Cfr. Vol. V 83, 4–8.

[3] Cfr. Vol. III p. 435 ad 397, 12 [corrige 19].

Sola singulorum, quos uncinis inclusos adposui, librorum memoria tradita sunt haec cantica: XCVII *(Edd)*, VII, XV—XIX, XXI *(Z)*, XXVII—XXXV *(Ka)*, XXXIX, XL, XLV—LIIII, LVI, LVII, LIX, LX, LXII, LXIII *(Vi)*, LXV, LXVIII, LXXI—LXXXIII, LXXXV—LXXXIX *(B 190)*, XC, XCI *(B 280)*, XCVIII—CX *(S II)*.

Notatu dignum est, quod cantica in *B 190* fol. 16^{r}—21^{v} sic deinceps continuata: XLIII, XLIIII, XX, XLII in *Vi* fol. CIX—CXIV^{v} aliud alio hoc ordine excipiuntur: XLII, XX, XLIII, XLIIII. Neque minus notabile est, quod in utroque iuxta posita sunt cantica IIII et XIII, atque in *Vi* quidem fol. CIIII^{r} et fol. CVII^{r}, contra ea inverso ordine in *B 190* fol. 48^{v} et fol. 47^{r}.

Haud inutiliter adicere mihi videor alteram codicum principalium tabulam abhinc annos tres confectam numeros canticorum non tantum a Thoma pactorum, sed omnium in eis obviorum repraesentantem, qua illorum inter se cognatio etiam dilucidius ante oculos ponatur. Cuius quidem prior pars exhibet numeros [1] summae cuiusque canticorum et latinorum et theotiscorum, altera numeros canticorum latinorum, in quibus codices cum uno vel pluribus sex reliquorum consentiunt, tertia numeros canticorum latinorum, cum quibus reliquorum nulla est consensio, quarta, quot quisque codex cantica latina cum codicibus dextrorsum a se positis communia habeat.

[1] Nonnullis numeris adponere fortasse debebam „plus minusve“, sed otium eorum retractandorum mihi non suppetebat.

	B 190	Ka	S 979	NYST	T 724	Vi	Z
I lat.	84	18	51	34	28	46	24
I theor.	105[1]	—	79[2]		4	50[1]	—
II	32	7	17	20	9	20	9
III	47	9	30	11	18	25	10
IIII B 190		—	10	16	9	14	3
IIII Ka			—	—	—	2	7
IIII S 979				6 (7)	3	7	1
IIII NYST					7	1	—
IIII T 724						4	1
IIII Vi							5

Propter codicum *Vi B 190 B 280* et cum *A 2 Pr Z Ka* et inter se cognationem e tabula priore conspicuam in eis alia quoque Thomae cantica latere cum iam per se veri simile esset, ut illa cum aliqua probabilitate e tenebris eruerem, has mihi leges scripsi, quibus ea a Thoma composita esse demonstrarem:

I) Ac prima quidem lex est, ne in codicibus saeculo XV anterioribus,

[1] Horum canticorum utrique codici quindecim communia sunt.

[2] Horum 79 canticorum *NYST.* 53 e *Weyβ.* transcripsit.

II) neve in catalogis corporibusque canticorum, velut in CHEV., nisi e codicibus, quos supra commemoravi, sumpta,
III) ut in codicibus, qui iidem Thomae vel integros tractatus vel certe locos sententiasve eorum contineant, reperiantur,
IIII) ut sermone atque argumento ingenium atque indolem Thomae spirent,
V) ut vocabulis aliquot Thomae propriis locutionibusque, si fieri potest, peculiaribus — videlicet non usque quaque suppetentibus — cum opusculis eius consentiant,
VI) ut notis musicis instructa sint.

His legibus e natura rei quasi nascentibus satis praecautum esse existimo, ne qua cantica Thomae temere addicantur, quamquam quartam legem quodammodo lubricam et usu difficilem esse non diffiteor; neque de ceteris excepta quinta habeo, quid moneam. Etenim Thomas alia cantica primis tamquam lineis primo adumbrata postea mutabat pleniusque describebat, alia sententias verbaque e suis solutae orationis operibus mutuatus componebat, quod utrumque duobus exemplis iam probare liceat.

Canticum II (cfr. supra p. 245 sq.) in *A2* bis legitur fol. 23^{r} sic inscriptum: *Deuotū carmē cantādū in laude ihesu xp̄i*, fol. autem 24^{r} sic: *Deuotus rigmu*^{9} *de vita ihesu imitāda;* fol. 23^{v} (p. 246, 11) legitur *Eius,* fol. 24^{r} *Ihesu;* fol. 23^{v} post *lege* (p. 246, 16) canticum hisce terminatur: *Assuesce ihesū īuocare mariā sepe salutare. Cruce scā te signare omēs scōs honorare*[1].

[1] Verba *Assuesce honorare* leguntur etiam fol. 24^{v} = p. 250, 7–19.

Deo laudes decătare. Amen, fol. autem 24^{v} vocabulo „lege“. Has varietates sic mihi expedio, ut Thomam de conformatione cantici aliquamdiu haesitantem tandem alteram eius recensionem litteris mandasse credam, quae sententia et loco[1] — complet enim cum cantico IIII ultima codicis fasciculi tertii folia 24—26 — et additis notis musicis confirmatur.

Alterum exemplum maxime memorabile luculentumque est canticum III (p. 246, 20 sq.) comparatum cum S II p. 210 Contione XXVII, 9 = Vol. III p. 233 sq. Sermone de vita et passione Domini hoce:

Canticum III.	Vol. III.
p. 246, 20 DE PATIENTIA SERVANDA.	p. 232, 5 *De laude patientiae.*
21–23 Adversa mundi tolera Pro Christi nomine. Plus nocent saepe prospera.	233, 1. 2 Saepe enim plus nocent prospera quam adversa:
25 molestaris,	232, 29 molestaris
27. 28 Patiendo promereris, Multa bona consequeris.	12–14 patiendo pro Christo multum promereris: et multa bona exinde consequeris.
247, 1 Deum honorificas	15 Deum altius honorificas:
2 angelos laetificas,	16.17 Angelos laetificas:
3 Coronam tuam duplicas	21 Coronam tuam duplicas:
4 proximos aedificas.	18 Proximum aedificas:
5–8 Labor parvus est atque brevis vita. Merces grandis est, quies infinita. Totiens martyr Dei efficeris, Quotiens pro Deo poenam pateris.	24–28 labor parvus est, et brevis haec vita: sed merces sequens grandis est et requies infinita. Revera totiens martyr Dei efficeris: quotiens pro Deo poenam libenter pateris.

[1] Cfr. Vol. III p. 404.

9–16 Patiendo fit homo melior, Auro pulchrior, vitro clarior, A vitiis purgatior, Virtutibus perfectior, Iesu Christo acceptior, Sanctis quoque similior, Hostibus suis fortior, Amicis amabilior.	233, 9–13 patiendo fit homo melior; auro pulchrior, vitro clarior: a vitiis purgatior, virtutibus perfectior; Christo acceptior, sanctis similior: hostibus fortior, amicis amabilior.

Iam ut in sequentibus et canticorum et locorum similium verba quam parcissimo chartae dispendio indicentur, ita rem instituam, primum ut cantici numerus typis pinguibus descriptus cum numeris paginarum versuumque eius, deinde ut binae lineolae parallelae, tum si huius voluminis loci comparandi sunt, omissis verbis nudi paginarum versuumque eius numeri ponantur, si ceterorum voluminum, praescripta voluminis nota numeri Romana iidem numeri et ipsa verba comparativa ac tituli quidem capitulorum maiusculis litterarum formis adscribantur.

I. 245, 3. 4 — 246, 8; 247, 22. — E multis sententiis verbisque huius antiphonae similibus satis erit unius paginulae Vol. V 14 haec attulisse: 5. 6. 10. 11 = V 14, 30. 31: O quam felix et multum amabilis nativitas tua, dulcissime Iesu, puer. — 3. 8. 11 = V 14, 8–10: Quis digne cogitare sufficiat altissimum Deum tam parvum pro hominibus factum? — 12 = V 14, 19. 23: dignatus est fieri ... fieri dignatus es. —

II. 245, 20 = 245, 3. 4. — 246, 6 = III 361, 10. 11: pulso, clamo. — 8 = 245, 3. 4. — 12 = 279, 18. —

III. Locis p. 535 sq. allatis adde hos: 247, 7 = V 162, 28. 29: [Maria] totiens martyr efficiebatur, quotiens cruenta filii stigmata contemplabatur. — 10 = V 230, 22. 23: sole clariores, nive candidiores, carbunculo pulchriores, auro digniores. — 13. 14 = II 87, 28. 29: quia Christo similior esses: et omnibus sanctis magis conformior. —

IIII. 247, 22 = 245, 5; V 13, 18. 19: O dulcissime Iesu. — 23 = V 17, 7: Tu de caelo descendisti. — 25–27 = I 315, 24–28: Legam igitur de te Iesu mi dulcissime: scribam de te, cantabo de te. Cogitabo de te loquar de te: operabor pro te, patiar pro te. Exultabo in te laudabo te. — 248, 4: In Sequentia quadam Godeschalci monachi Limburgensis, praepositi Aquensis († 1098) hi versus leguntur: Multum dimittis multum amanti nec crimen postea repetenti; cfr. DANIEL II p. 40, 15, DREV. L p. 347, 8b, Dreves, Hymnologische Beiträge, Leipzig 1897, I p. 202. Fons eorum est Luc. 7, 47: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. — 248, 7 = I 260, 28: Eia quid habui. — 11: cfr. ad 256, 15. — 14 = 288, 27—289, 1; I 208, 15. 16: et quae latent et quae patent; III 6, 2: nunc aperte, nunc obscure. In Adami de S. Victore († 1192) carmine de sancta cruce celebratissimo „Laudes crucis attollamus“ (legitur in *L* fol. 336, quem descripsi Vol. I 362—365, et apud DANIEL II p. 78) stropha x incipit ab his: „In scripturis sub figuris Ista latent, sed iam patent Crucis beneficia“; cfr. DANIEL V p. 89 sq. et

Joh. Kayser, Beiträge zur Geschichte und Erklärung der alten Kirchenhymnen, Paderborn 1886, II p. 24. —

V. 249, 23. 24 = II 254, 13. 14: Vere vita boni monachi crux est: sed dux paradisi. —

VI. 250, 5. 6 = 73, 4. 5; 145, 16. 17. — 17. 18 = 329, 15. 16; 331, 22; II 221, 20. 21: extra me nil cupere: et super omnia me ardenter amare. —

VII. Et verbis et sententiis cum hac admonitione notabili congruit Soliloquii animae capitulum v Vol. I 211—215 his: 251, 3 = 212, 9: Dies. — 4: velimus nolimus = I 213, 13: Bibant qui volunt. — 4–6: implebimus ... implentur ... impletur = I 215, 13: impleverit. — 5 = I 213, 24: vae. — 8 = I 213, 16: acrius; I 212, 8: vita. — 9. 14. 15: quis ... gloriari poterit = I 214, 5: quis poterit gloriari? I 211, 28. 29: Quamdiu in hoc mundo sum: mundus non sum. — 10: hinc exierit = 214, 17: hinc non exibo, I 212, 4: abhinc egrediar. — 15 = I 212, 9: pauci. — 16 = I 213, 7: electi. — Huc aliunde sumpta accedunt: 2 = II 5, 1 et 59, 1: ADMONITIONES. — 5–7 = I 73, 8. 9: Et vae longe errantibus a via iustorum: qui non flent; II 49, 6–13: melius est modo purgare peccata et vitia resecare: quam in futuro purganda reservare ... Quid aliud ignis ille devorabit, nisi peccata tua? ... tanto durius postea lues[1]. —

[1] Verba leguntur in capitulo XXIIII, quod inscribitur „DE IVDICIO ET POENIS PECCATORVM“ libri I De imitatione Christi.

13 = II 216, 1–3: QVOD HOMO ... DE NVLLO GLORIARI POTEST. —

VIII. De beneficiis Dei praecipue sunt Soliloquii animae capitulum XXV (I 330 —346) et prima pars tractatus De elevatione mentis (II 399—403), quorum his potissimum locis canticum VIII in memoriam redit: 252, 1–4 = I 336, 6. 9. 10: omnia creasti ex nihilo ... ut notam faceres filiis hominum potentiam tuam; II 401, 5. 6. 15. 16: (me) ad imaginem et similitudinem tuam creasti ... Recordare quam alto consilio (imaginem tuam) ... de nihilo ... condidisti. — 9. 10 = I 335, 23–26: Et ecce melior sum omni corpore, praelatus omnibus bestiis et volatilibus caeli, quia ad imaginem Dei factus. — 15 = I 337, 30. 31: ut damnatum servum redimeres filium tradidisti. — 253, 25–30 = I 331, 2–4: Quod dedisti hoc recipe: et unde flumina exeunt, illuc revertantur. — 254, 6 = 320, 23; I 339, 14. 15 et II 418, 24: sapientia Patris. — His adde 251, 19–26 = 257, 2–11; III 354, 16–18: si omnium creaturarum etiam virtutes haberem, adhuc plene tibi regratiari nequaquam sufficerem. — V 4, 17–21: Sed tuam abyssalem maiestatis dignitatem quis digne laudare poterit? Ecce omnes virtutes caelorum atque universae potestates angelicae non sufficiunt tuae celsitudinis magnitudinem condigne laudare. —

IX. Hoc canticum inter „Pia dictamina“ Clemens Blume ex *Ml* edidit in DREV. XXXI (1898) p. 52 sq. p. 214 addens omnino id speciem praebere a Thoma

a Kempis compositi. — 254, 16 = 331, 7; III 275, 10. 11: Cura mihi est de te; I 285, 20: Cura est mihi de te. — 23 = 411, 23. 24. — 255, 16 = 331, 12. — 24 = VI 130, 5. 6: Quid debui facere et non feci? V 176, 3. 4: Quid ultra debui facere et non feci?[1] — 256, 15 = 248, 11; 315, 4; 352, 6; V 16, 5: pauperis Iesu. — 15. 16 = III 74, 12. 13: Vt tu ditesceres: venit depauperari. — 18 = 252, 29; 281, 28; 308, 13. —

X. 257, 2–10 = 251, 19–26; I 338, 17. 18: Generale quidem hoc beneficium sicut et primum [i. e. creationis]. — 5–11 = V 4, 17–21; cfr. ad 251, 19–26. — 26—258, 3 = 353, 23–27. — 258, 20. 21 = V 217, 6–8: salvator mundi, pro victoriosissimo triumpho mortis. — 28 = 353, 24. — 259, 14–16 = I 331, 20–23: laudare te corde et ore cupio; quia si digne non possum perficere: indignum tamen est omnino silere. —

XI. 259, 25. 26 = 251, 19. 21. — 27. 28 = I 315, 4–6: O dignissime Iesu quid honoris umquam reperiam, aut quam gratiarum actionem tibi reddam. — 260, 23–28 = 315, 23–26. —

XII. 262, 6. 7 = II 41, 12. 13: DE CONSIDERATIONE HVMANAE MISERIAE. — 9–11 = 266, 10–12. — 11–12 = II 42, 6. 7. 13: Vere miseria est vivere super terram . . . vere magna miseria est et afflictio. — 12 = II 44, 7–9: Cito etiam

[1] In cod. Monac. Clm. 5023 (anni 1495) fol. 221v carmen incipit ab his verbis: „Quid vltra debui facere tibi et non feci Ego quidem plantaui."

potest perdi per neglegentiam: quod multo labore vix tandem acquisitum est per gratiam; II 43, 21. 22: non possumus ... sine taedio et dolore vivere. — 13–16 = I 210, 25. 26: Quis etiam scit si electus fuerit. — 18 = 263, 2. 14; 265, 24; III 55, 10: in huius mundi carcerem. —

XIII. 264, 14–24 = 75, 13–18. — 17 = III 87, 20. 21. 26. 27: Vbi est parvulus qui natus est nobis? III 126, 10. 11: Vbi est ille [Iesus] modo...? — 19 (Sancta Agnes celebratur canticis XL, XCIIII, XCV, CI, CII, sancta Caecilia XCVI, CIII, CIIII, ambae XCVII, CVIII, commemorantur VI 276, 27; 277, 4). — 265, 6. 7 = III 75, 13. 21: para mihi hospitium ... cordis tui adorna thalamum. — 10. 11: = 366, 29. 30. — 24 cfr. ad 262, 18. — 25–27 = 330, 26. 27. —

XIIII. 266, 11 = 262, 9. —

XV. 267, 12 = II 182, 8: IN DEO. — 13–18 = II 182, 11–13: Super omnia et in omnibus requiesces anima mea in Domino semper: quia ipse sanctorum aeterna requies. —

XVI. 267, 20–23 = I 247, 24–26: Lux est in tenebris et lucerna in noctibus: dat medelam aegris mentibus: et vinum laetitiae multum tristibus. —

XVII. 268, 2–5 = II 173, 12–16: Tu vera pax cordis tu sola requies: extra te dura sunt omnia et inquieta. In hac pace, in id ipsum: hoc est in te uno summo aeterno bono dormiam et requiescam; III 103, 3. 4: [cor meum] cum illo [Iesu] est in pace: mecum autem in inquiete. Hic dormiam hic re-

quiescam; I 180, 5: requiescit: non in pace Christi. —

XVIII. 268, 9–12 = II 258, 11. 12: ego omnes inaestimabili dilectione amplector. —

XIX. In hac antiphona argumentum capitulorum XVIII Hortuli rosarum et XXVI Vallis liliorum DE AETERNA LAVDE DEI imperativo lauda quaterdeciens (11 + 3) repetito in summarium tamquam compressum est his maxime verbis: 109, 14–19: Nil quippe tibi melius, nil salubrius, nil suavius, nil iucundius, nil dignius, nil altius, nil felicius, nil perfectius nil beatius: quam ardentissime amare et altissime laudare Deum. Hoc centies dico: hoc millesies replico. E sescentis aliis locis unum addo III 103, 25–29: Lauda nunc anima mea Dominum: lauda Deum tuum Sion. Lauda Iesum Salvatorem; et si perfecte laudare non potes: tamen ex parte pro viribus tuis laudare ne cesses. —

XX. 268, 24 = 381, 1. — 26—269, 1 = I 291, 13. 14: Non tu me elegisti: sed misericordia mea te praevenit; II 258, 4. 5: Ego eos elegi de mundo non ipsi me praeelegerunt. — 269, 1–3 = 331, 8. 9. 20. — 6–11 = II 82, 7–9: abnega temet ipsum: tolle crucem tuam, et sequere Iesum; I 284, 16: Tolle crucem: et sequere me. — 18–20 = 331, 11. 12. — 270, 2–4 = 82, 6–9. — 271, 13 = 331, 5. —

XXI. In Thomae operibus vix reperias materiam, quam saepius atque ferventiore devotionis pietatisque adfectu tractaverit,

quam beatae virginis Mariae in Filio suo patiente compassionem. En capitulorum titulorumque huc spectantium multitudinem: III 217, 10. 11: DE SEPTEM NOTABILIBVS PVNCTIS COGITANDI DE PASSIONE CHRISTI. — III 343, 2. 3: Oratio ad compatiendum Christo et dilectae matri eius. — V 150, 22–24: De compassione materni doloris et mutua commendatione beatae Mariae et sancti Iohannis. — V 157, 2. 3: De magnificis virtutibus beatae virginis et de dolore ac lacrimis eius. — V 201, 2: Depositio Domini Iesu de cruce. — V 270, 21. 22: De lacrimis beatae Mariae virginis iuxta crucem. — VI 200, 7–9: DE VENERATIONE ET COMMEMORATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS. — VI 223, 23. 24: DE DOLORE ET CONSOLATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS, e quibus haec cum paucis aliunde supplementis excerpo: 272, 4–6 = V 137, 16: Non est certe compassio neque contritio; V 150, 22. 23 et V 152, 2. 3 cfr. supra; V 160, 6. 7: pro gravi contritione cordis tui [Mariae]; V 162, 30 et VI 205, 26: anima devota; VI 223, 23. 24, VI 200, 7–9, III 343, 2. 3 cfr. supra; VI 200, 14–16: memoria doloris beatissimae semper virginis Dei genetricis Mariae. — 4–10 = VI 187, 15–18: Pensate etiam dolores beatae virginis matris Iesu stantis iuxta crucem; quam multas tunc lacrimas cum intima compassione effudit. — 7 = V 160, 15: maerens. — 7. 8 = V 164, 11. 12: matrem et discipulum respexisti sub cruce stantes et flentes; VI 200, 22: matris sub cruce

stantis. — 9 = V 204, 10: in gremio. — 10 = V 151, 14: iuxta crucem lacrimans; VI 200, 20: matris lacrimantis. — 11. 12 = V 203, 7. 8: quam dolenter et instanter [mater] stigmata sacrosancta inspexit. — 13. 14 = V 203, 17: devote osculare rubicunda Iesu vulnera; V 127, 6: rubicunda Iesu vulnera. — 15 = V 203, 9. 10: O quam votivis bracchiis benedictum ventris sui fructum circumstrinxit; V 160, 10–12: pro pio illo amplexu, quo ipsum de cruce inter materna bracchia suscepisti. — 17 = 365, 22 et 366, 22; VI 236, 1: rubens tamquam rosa. — 19 = V 203, 29: pia et dulcis est Maria; V 160, 26: Mariae amorosae. — 20 = VI 202, 25. 26: placando faciem dilecti filii sui. — 25. 26 = V 66, 14. 15: Compatere nunc, anima mea; V 160, 25. 26: Compatere nunc, anima mea, virgini dolorosae, matri lacrimosae; VI 202, 1. 2: compatiendo sibi [Mariae] et dilecto filio suo. — 27. 28 = 74, 29. 30. — 273, 1. 2 = III 116, 30: Iesu fili Dei, miserere quaeso mei. — 3 = 354, 13. 14; V 164, 8. 9: piae matris; V 160, 29. 30 et 203, 15: pia mater; VI 202, 21. 22: pia et misericors mater; VI 201, 5. 6: mater Iesu Maria precibus suis; VI 227, 14: precibus matris. — 4. 5 = VI 204, 11–13: non relinquatis crucem: donec veniatis ad Iesum Christum veram lucem. — 7 = V 140, 23. 25: latroni ... paenitenti; V 141, 7: paenitens latro. — 9 = V 141, 8: deliquisset. — 11. 12 = III 249, 8. 9: Filiae Ierusalem ... venite et videte Regem Christum. —

XXII. 273, 14–18. 274, 1 = 112, 18. 19; 309, 21; V 88, 24–26: Ipse [Iesus], qui angelicas in caelo voces semper audit resonare: Sanctus, sanctus, sanctus; *B 190* fol. 183v: O quam dulciter voces ibi resonant · vbi omnes sancti · laudem deo decantant dicentes · Sanctus. — 21 = 367, 6. — 22 = 310, 4. — 25 = 115, 11. 12. — 274, 1 = 113, 8; cfr. ad 273, 14–18. — 4 [1] = 309, 6. — 5 = 309, 28. — 6–9 = 114, 1–3; 309, 24; 310, 2. — 11–13 = 113, 13–15. — 22 = V 18, 2: tonat in nubibus. —

XXIII. 275, 17 cfr. ad 274, 4. — 18–20 = 46, 17. 18; 309, 23. — 25. 26 = 282, 15–18. — 276, 1. 2 = 309, 23. 24; 46, 17. — 4 = 281, 25. 26. — 5 = 310, 16. —

XXIIII. Evidens est huius cantici et Soliloquii animae capituli XXI (Vol. I 306–312) DE MEMORIA CAELESTIS PATRIAE consensus; quae autem inde a 277, 5–279, 16 perscribuntur, ea I 311, 30–312, 1 comprehenduntur hisce: „Hic semper pax et gaudium redundant; hic omnium bonorum affluentia: omniumque malorum perpetua carentia“, quibus haec singula addo: 276, 11 = I 183, 24: caelestis Ierusalem. — 11–13 = 280, 2–4. — 14. 15 = I 308, 8. 9: ad Ierusalem novam perpetua pace stabilitam. — 17 = I 307, 12. 13: de mansione caelesti; II 230, 6: mansio beatissima. — 18. 19 = I 308, 20: Gloriosa dicta sunt de te. — 26. 27 = I 307, 30–308, 1: sanctam illam civitatem Ierusalem salutans: quae construitur in caelis

[1] Laudat MONE I p. 440 ex Gregorii M. hom. in ev. 2, 34, 11: „superna illa civitas ex angelis et hominibus.“

vivis ex lapidibus. — 277, 5–8 = III 279, 19–24: Nescio quid laetius et festivius in toto anno cantatur: quam quod in his diebus paschalibus agitur. Nam vox et cantus omnium alleluia crebrius resonant: et omnia cum alleluia terminantur. — 25 = I 308, 3 et II 372, 9: canore iubilo. — 278, 18 = I 311, 31: omnium bonorum affluentia. — 279, 18 = 246, 12. — 24 = I 308, 27: beata et gloriosa Trinitas. — 26 = I 307, 30: civitatem Ierusalem. —

XXV. 280, 2 4 = 276, 11–13. — 281, 25. 26 = 276, 4. — 28 = 256, 18; 308, 13. — 282, 7. 8 = I 298, 20: O quam dulcis et iucunda erit tua praesentia; I 300, 4. 5: donec praesentiam vultus sui tibi ostendat in regno. — 15–18 = 275, 25. 26. — 19–24 = II 86, 20–22: non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam promerendam, quae verba a Thoma II 210, 13. 14, II 241, 19–21, VI 11, 25–27 laudata sumpta sunt e Rom. 8, 18. —

XXVI. 283, 5 — I 121, 21: sedere solum; 341, 27. 28 [1]. — 284, 7 = 344, 10; 345, 7. — 21. 22 = II 253, 27. 28 et VI 181, 20. 21: Non enim maior est servus domino suo; 27. 28 = 341, 15. 16; I 21, 24. 25, III 158, 30, III 351, 29. 30 = Mat. 8, 20 et Luc. 9, 58: Filius

[1] Si mihi opponas me et hoc loco et multis aliis labi controversa controversis tutantem, vide, ne vitiose concludas. Nam cum talis consensus non semel, sed saepe existat idque locorum non controversorum accedente consensu, eiusmodi cantica tanto apparet adfinitatis vinculo contineri, ut eandem eorum originem conicere liceat. Quod si vel in uno alterove cantico me recte statuisse concedes, non erit, cur ceterorum quoque Thomam auctorem esse neges.

autem hominis non habet, ubi caput reclinet. — 285, 10–14 = I 309, 18–20: Ibi est et gloriosissima mater Dei perpetua virgo Maria: totam caelestem curiam perornans specie et pulchritudine sua. — 287, 1–4 = II 82, 5: DE REGIA VIA SANCTAE CRVCIS; II 82, 19. 20: Quid igitur times tollere crucem; per quam itur ad regnum?

XXVII. Quae in hoc cantico pluribus verbis explicata sunt, ea paucis adumbrata sunt supra 25, 21–24. Praeterea cfr. 288, 3 = 25, 21. — 4. 16. 17 = 25, 23; I 309, 27: tres hierarchias. — 9 = 25, 22. — 13 = 302, 18. — 27. 28 cfr. ad 248, 14. — 292, 11 cfr. ad 343, 26. —

XXVIII. Vt superiore cantico angelorum, sic hoc cantico illi quasi ex altera parte respondente sanctorum caelo beatorum laudes praedicantur. Quae continuatio ipsa utriusque tituli et exordii similitudine (293, 3. 5–7. 10 respondent 288, 3. 5–8. 18) inlustratur. Sanctorum autem caelicolarum post beatam virginem Mariam ex parte eadem genera eodem ordine celebrantur I 309, 19. 29, I 310, 8. 28, I 311, 3. 6. 11. Locutiones cfr. 293, 19 = 301, 2. — 293, 28 = 301, 6. — 297, 12. 13 = II 184, 6: iucundis fruar amplexibus. — 298, 1. 2 = 366, 1. 2. — 298, 21 = 309, 8. —

XXIX. Iam adsciscitur tertius de caelesti Ierusalem hymnus, qui est de communibus sanctorum donis praemiisque nobis quoque propositis. Cfr. 299, 18–20 = 288, 3. 5; 293, 3. 4. — 300, 19–22 = 328, 25. 26. — 20 = 367, 8; 398, 7. — 21–24 = I 309, 18–20: Ibi est et gloriosissima mater Dei

perpetua virgo Maria: totam caelestem curiam perornans specie et puchritudine sua. — 301, 2 = 293, 19. — 4 = I 311, 12: collaudantes. — 6 = 293, 28. — 22 = I 311, 17: contemplatione. — 302, 7. 8 = 363, 27 et 364, 1. — 18 = 288, 13. — 29 = 338, 5. —

XXX. 303, 8 = 310, 18. — 11. 13. 18 = III 278, 18–20: omnibus in se credentibus per orbem fidelibus contulit spem vitae aeternae. — 25 = III 287, 13: pax et gaudium. — 304, 4 = III 273, 6: nec ultra moriturus. — 7. 8 = III 282, 9–12: Imitare ... Deum tuum resurgentem a morte; ut de cetero ambules in novitate vitae melioris, calcando vitia.... — 304, 28—305, 2 = 312, 12–14; 309, 14; 323, 22; I 314, 20. 21: in ipso sunt omnia; II 152, 19. 22. 23: Amans ... habet omnia in omnibus; quia in uno summo super omnia quiescit; II 231, 9. 10: quando eris mihi omnia in omnibus? V 235, 5. 6: ut sit Deus omnia in omnibus benedictus. — 305, 7 = 308, 7. 19; 309, 7. — 306, 17 = 309, 7. — 23 = 307, 25. —

XXXI. 307, 25 = 306, 23. — 308, 7. 19 = 305, 7; 306, 17. — 309, 3 = 342, 14, I 121, 22: levare se supra se. — 6 = 274, 4; VI 285, 14: ad supernam Ierusalem. — 7 = 306, 17. — 8 = 298, 21. — 14 cfr. ad 304, 28—305, 2. — 21 = 273, 18. — 23. 24 = 275, 18. 21; 276, 1. 2; 274, 9. — 28 = 274, 5. — 310, 2 = 274, 7. — 4 = 273, 22. — 16 = 276, 5. — 18 = 303, 8.

XXXII. Maximum ex huius mundi carcere[1] id est e miseria huius vitae

[1] In cantico XII „in huius mundi carcere“ ter legitur.

eductionis desiderium depingitur et vocabulo carceris et verbo educendi in hoc cantico septiens utroque usurpato. Praeterea singillatim cfr.: 310, 24–27 = III 66, 7. 20 - 22. 26: adventus Domini ... veni et salva iam lapsos ... Veni ad visitandum nos in ergastulo carnis ...; 315, 4; 324, 17. — 311, 1. 7. 8 = III 66, 24–27: ... quos ... horror mortis graviter affligit. Veni ad illuminandum mundi tenebras, et tenebrosas expurga conscientias. — 28 = III 64, 11. 12: pro nostra salute dignatus est homo fieri. — 312, 12–14 = 304, 28 —305, 2. — 19 = III 74, 14. 15: Venit ad errantem via; ad ignorantem veritas. — 27 = 373, 20. —

XXXIII. 314, 26 – 315, 1 = V 11, 23. 24: ... Deus et homo inter homines apparendo. — 315, 4 = 320, 11; cfr. ad 310, 26. — 5 = V 17, 27: vagit in cunis. — 6 = 318, 6. — 23–26 = 260, 23–28. — 316, 16. 17 = 358, 8. — 317, 4–6 = V 14, 15–17: Deum puerum natum, pannis vilibus involutum et in arto praesepio ante animalia positum. —

XXXIIII. 317, 17 = V 13, 11. 12 = non habes tempora et annos. — 19 cfr. ad 26 = V 15, 29: mediae noctis tempore nasci. — 318, 2 = 315, 4; 320, 11; 6 = 315, 6; 323, 23; 358, 27. — 13. 14 = III 94, 20. 21: Omnis siquidem Christi actio, tua est instructio. — 18 = III 12, 16. 17: Et si in substantia nostrae carnis mortalis apparuisti. ... — 20 = III 85, 12: instruuntur. — 319, 8 = III 86, 3: sol iustitiae qui natus est. — 15. 16 = III 85, 18. 19: exortum est in tenebris lumen rectis

corde. — 23–25 = V 16, 11–13: elegisti nocturnum tempus pro secreto, algorem hiemis. — 320, 11 — 315, 4; 318, 2. —

XXXV. 321, 5. 6 = I 21, 17–19: nec cum cunctis rebus quae sunt mundi statuit vel exiguam amicitiam iungere. — 322, 11–13 = I 233, 6–8: Stultum est mendicare a paupere: cum dives voluerit sufficienter dare. — 15. 16 = V 14, 15. 16. 18: pannis vilibus involutum . . . Dominus omnium dominorum; 325, 1. — 20. 21 = I 7, 31: ista [paupertas] est quam elegi. — 323, 5 = 250, 25. — 9 — I 5, 7. 8: Diligam etiam sanctam paupertatem; I 10, 13: amica mea paupertas; I 11, 10; I 13, 16; I 24, 20. 21: paupertas amica mea; I 16, 19: dilexi paupertatem; I 245, 28: alius voluptates ambit; II 6, 17: honores ambire; II 194, 4. 5: Non dico ab his rebus quas toto affectu ambit vanitas humana. — 19. 20: Laudi paupertatis totum capitulum I, humilitatis totum capitulum II tractatus De tribus tabernaculis dicatum est. — 22 cfr. ad 305, 2. — 23 — 358, 27; 318, 6. — 26 = I 9, 23 et 19, 23: placita. — 324, 17 = 310, 26; 315, 4. —

XXXVI. Hoc canticum materiam cantico LXXVIII brevius atque simplicius delineatam pluribus atque artificiosius persequitur. 324, 21 = III 357, 11: regina pulcherrima. — 325, 1 = 322, 16. — 7 = V 17, 25. 26: Mira res. — 8 = III 358, 5: placuisti. — 10. 11 = III 16, 19–21: quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum permansit; III 20, 15. 16: in concipiendo et pariendo mansit semper virgo intacta. — 21 — III 19, 31:

Ezechiel. — 22. 23 = I 107, 27 29: Moyses famulus Domini miratus est quare rubus ardeat et non comburatur. — 26 = 326, 6; 355, 8; 372, 8; cfr. Luc. 1, 34. — 28 = 364, 26; III 14, 14: virga Aaron sacerdotis florens. — 326, 1 = III 14, 18: Gedeon; III 15, 30: vellus. — 7 = III 360, 6: ore Gabrielis. — 8 = III 360, 20: Vale iam virgo Maria. — 28 = III 359, 23: Protege. —

XXXVII. Initium cantici adfert memoriam cantionum Bohemicarum „Iubilemus dulciter Odas depromentes", „Iubilemus singuli Unanimiter, Carmina concrepantes" a DREV. I p. 118, 95 et 96 e codice C, quo eodem canticum XXXVI continetur (DREV. I p. 52), receptarum. Vocabulorum autem plurimorum Vol. V inde a p. 9—29 et Vol. III p. 77, 7—87, 2 cantici quodammodo geminorum haec sunt exempla: 327, 2 = III 84, 19: iubilemus. — 4. 5 = III 77, 7. 8: festum ... recolitur; III 87, 21. 26, V 13, 9; 17, 26: parvulus. — 6 = V 14, 26. 30: nativitas. — 7 = V 15, 14: redemptionis. — 8 = V 14, 14: caritas. — 10 = V 14, 6; 15, 29: virgine. — 12 cfr. ad 325, 26. — 13 = III 86, 20: virginea puritas. — 14 = V 16, 25: pertulit; V 17, 6: inopiae. — 17 = V 29, 28: praesentatus. — 18. 19 = V 14, 16. 17: in arto praesepio ante animalia positum. — 20. 21 = III 73, 12: nec indutus purpura et bysso; I 8, 29. 30: indui purpura et bysso. — 22—24 = V 16, 20: caelum stellis, terram. — 328, 1 = V 20, 8: patientiae. — 2 = V 15, 26. 27: ad dandum omnibus hominibus virtutis exem-

plum. — 3. 4 = V 10, 3, V 28, 19: peccatorum sordibus; V 21, 6: a vitiis purgatus; V 18, 18: ut nos a peccatis ablueres. — 6 = V 16, 10: degustatione. — 13 = V 9, 13: imploramus. — 15. 16 = V 16, 18: totum tegis mundum. — 17 = V 16, 14: palatia. —

XXXVIII. 328, 22 = 145, 19; 197, 22; 233, 17; 464, 26; III 174, 2 et VI 41, 10: Adiuva. — 22. 23 = 273, 3: matris tuae precibus. — 25. 26 = 300, 19–22. —

XXXIX. Thomas ut multas sanctas virgines cantico XCVII decoravit nominatim, sic eas hoc cantico universe veneratus est. 329, 2 = 385, 27. — 7. 8 = 385, 29. —

XL. Hoc canticum quasi quoddam primordium est dilatati cantici CVIII, quod quantum differat, illic exponam. 329, 13 = V 13, 18. 19: O dulcissime Iesu. — 14–16 = II 221, 19–21: omnem spem in me ponere, extra me nil cupere: et super omnia me ardenter amare; 250, 17. 18; 331, 22. — 330, 5–8 = 390, 9–12. —

XLI. Totum canticum depromptum est e Cantico canticorum 2, 11—13; 4, 7. 8. 10. 11, quod quam studiose Thomas in rem suam converterit, cognoscimus e canticis XIII (p. 265, 25–27), XLIIII (p. 333, 8. 12. 13. 17), LXXX (p. 367, 21–25), LXXXVII (p. 375, 14. 19. 24. 29), ex Epistulae ad quendam cellerarium cap. III (Vol. I p. 171, 7—180, 2), e Soliloquii animae cap. I (Vol. I p. 194 sqq.). —

XLII. Magnam similitudinem hoc canticum habet cum cantico LIX. 331, 4 = 343, 25; 361, 24. — 5 = 271, 13. — 7 = 254, 16;

I 285, 20: Cura est mihi de te; III 275, 10. 11: Cura mihi est de te. — 8. 9 = 269, 2. 3. — 11. 12 = 269, 19. 20; 255, 16. — 12–14 = 345, 27. 28; 269, 18. — 17. 18 = 346, 9. 10. — 20 = 269, 1. — 22 = 329, 16; II 221, 20: extra me nil cupere. — 26–28 = 345, 12–14. —

XLIII. Hoc canticum breviter complectitur summam Soliloquii animae capitulorum I DE DESIDERIO ANIMAE QVAERENTIS DEVM et XIIII DE TRISTITIA ANIMAE ABSENTE DILECTI GRATIA. 332, 7. 8 = I 195, 8: Quid ergo quaeris? I 195, 27: quis est ille quem quaeris? I 258, 15: Quaesivi; I 198, 2: supra me est quem quaeris; 265, 1. 2; I 258, 7. 17: anima mea. — 10 = I 261, 11: Sufficiebat mihi; II 60, 7. 8: sufficit tibi. — 11. 12 = I 258, 10. 11. 14: Dominus ... rex ... Deo tuo. — 13 = I 259, 22: de sponso Christo. — 14 = I 258, 9: Quare ... reliquit. — 17 = I 195, 12: gloriae eius. — 18. 19 = I 195, 6: quae in caelo sunt et in terra? — 20. 21 = I 261, 13: Sicut volebam sic ille erat; I 195, 1: et est talis? I 258, 11. 12: dilectus dilecti. —

XLIIII. 332, 28—333, 4 = I 121, 20–23: Ecce quam bonum et quam iucundum est sedere solum et tacere, et levare se supra se: et adventum praestolari dilecti amici Iesu Christi; I 264, 8. 9 et VI 7, 5: ecce quam bonum et quam iucundum; Ps. 132, 1. — 331, 1 = 283, 5. — 12. 13 = 330, 23–26. — 15–17 = I 127, 4–6: En sto ante ostium et pulso: aperi mihi

soror mea; III 88, 31: pulsa: donec aperiatur tibi ianua. — 19 22 = 363, 10–12; I 327, 4. 5: Anima mea liquefacta est: ut locuta es. —

XLV. 333, 28–334, 3 = I 330, 27–331, 1: Serviat tibi Domine Deus quitquid ago lego et scribo: omne quod cogito dico et intellego; V 112, 4. 5: serviant tibi omnia membra mea. — 334, 1–3 = 344, 20–22; I 315, 25. 26: Cogitabo de te loquar de te: operabor pro te. — 4. 5 = II 163, 14. 15: Ecce omnia tua sunt: quae habeo et unde tibi servio. — 5 = III 92, 28. 29: Da ei totum quod habes. —

XLVI. 334, 7. 8 = II 263, 11. 12: exaudi orationem pauperis servi tui. — 9 = II 66, 1: rectum cor. — 13–15 = II 173, 3. 4: Tua voluntas mea sit: et mea voluntas tuam semper sequatur. —

XLVII. 334, 23. 24 = 335, 9. — 24 = V 180, 5: vita viventium. — 335, 1–4 = 335, 29 –336, 1–3. —

XLVIII. 335, 9 = 334, 23. 24. — 29 –336, 1–3 = 335, 1–4. — 336, 5. 6 = I 195, 1. 2: Quid mihi est in caelo; et a te quid volui super terram? —

XLIX. 336, 11–13 = I 564, 7. 8: Iustitia vestra est in cella esse, domi latere. — 337, 9–13 = 156, 13; I 15, 19: Arsenius; I 125, 9: Arsenium; I 564, 28. 29: Arseni vis salvus fieri, fuge tace et quiesce[1]. — 15–17 = 341, 25–28. —

L. 338, 1 = I 318, 2. 3: frater meus os meum et caro mea fieri dignatus es;

[1] Cfr. Vol. I 387.

I 328, 2: Iesus frater tuus; III 366, 10: frater meus Iesus. — 1. 2 = V 14, 17. 19. 22. 23: O humilitas incomprehensibilis, quod Dominus omnium dominorum dignatus est fieri conservus servorum suorum ... quin etiam fieri dignatus es frater meus. — 5 = 302, 29. — 8. 9 = V 4, 23: vermis; V 113, 16. 17: omnium opprobrium et abiectio derisiva effectus. —

LI. Idem, quod hoc cantico, propositum tractatur Vallis liliorum DE SOLITVDINE ET SILENTIO capitulo XVIII, cuius haec verba p. 86, 7. 8: „locus secretus: et recessus a turbis ubi non est strepitus“ et p. 87, 6–13: „Maneas ergo libenter in solitudine et in cella devotionis causa; sicut beata virgo Maria mansit sola in cubiculo clausa: loquens cum sancto angelo sibi misso a Deo de caelo; ut etiam ad te veniat sanctus angelus Domini nuntius caelestis et custos animae tuae fidelis“ huc praecipue quadrant. Cantici autem vocabulorum si repetita in rationem semel inducuntur et particulae omittuntur, numero quinquaginta duorum cum capitulo, quod modo indicavi, omnino consentiunt haec octo: Maria, custos, fugiens, solitudine, cordis, cubiculo, tumultus, conscientiae. Reliquorum quadraginta quattuor vocabulorum primitiva cantici formis quidem variantibus haec septendecim eadem sunt quae capituli: pudoris, pudicitiae = pudicus; fidelissima fidelis; elongans = elongavi; commanens = mansi, manens, permanere, ma-

neas, mansit, manenti; sanctae = sanctus, sancto, sancti; virtutis = virtutem, virtus; fructibus = fructum; contemplationis = contemplanda; secreti = secretus, secretum, secreta; studiosa = studium; rarissima = raro; humillima = humilem, humilitas, humiliter; oderat = odit; fugiebat = fuge; visa = visis, visus; famae = fama; vivere = vivat. Itaque restant tantum viginti septem vocabula utrique loco non communia, quorum exempla, si cui quae attuli non sufficiunt, ei complura alia eodem modo consentientia suppeditantur eiusdem argumenti capitulo IX Soliloquii animae Vol. I p. 230 sqq., quod ab iisdem Psalmi 54, 8 verbis incipit, quibus Vallis liliorum capitulum XVIII hisce: „Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine“ et Sermonibus ad fratres VII, VIII, IX, ubi Vol. I p. 117, 10. 11 eadem Psalmi verba laudantur. Quibus adde: 338, 15–18 et 339, 2 = 87, 8. 9; I 237, 15. 16: Elongabit se a tumultibus; V 265, 17. 20–22: Maria ... stetit foris verecunde, mansit intus secure. In via fuit custodita, in domo quieta. — 24 = 127, 25–28: Accede ... ad secretum tabernaculum atque oratorium beatae Mariae virginis a saeculi turbis remotum; 195, 17: secretum quaerit, tumultum fugit. —

LII. In Oratione de amore et laude beatae virginis Mariae intra tres paginulas Vol. III 355—357 haec vel eadem quae in cantico LII vel paululum deflectentia vocabula ex parte iterum atque ter quater-

que repetita leguntur: „O, vitae, sanctissimis, virgo Maria, et, ineffabili, existis, altissimi, caritatem, misericordia, pietas, divinam, tu, super omnes benedictam, aeternoque, saecula“, quibus addo ex Oratione ad eandem III 362, 23: „eia“; 330, 16. 17 = II 152, 15. 16: nihil altius nihil latius. —

LIII. Paucis omissis et mutatis e Soliloquii animae capitulo XXIIII: DE CONSOLATIONE PIISSIMAE MATRIS VIRGINIS MARIAE huc translata sunt haec: 339, 23–26 = I 325, 12. 13. 15. 16: Ego sum inquit mater misericordiae: plena caritate et dulcedine. Ego . . . et sanctorum specialis laetitia; III 356, 18. 19: iubilatio omnium sanctorum. — 340, 1–5 = I 325, 17–19: Transite ad me omnes qui diligitis me, et ab uberibus consolationum mearum adimplemini: quia pia sum. —

LIIII. Hoc canticum componenti manifestum est ante oculos versatas esse Orationes ad beatam virginem Mariam. Ene pluribus nonnullae locutiones: 340, 7. 8 = III 365, 8. 9: quando venti temptationum insurgunt. — 11 = III 365, 15–17: Et quorsum respiciam, ut portum attingam salutis, nisi ad praeclarissimam maris stellam. — 12 = III 365, 19. 20: O Maria, dilecta et dulcis mater. — 15 = 359, 23: Protege. — 16 = III 361, 24. 25: Aut quomodo illi nocebit inimicus? —

LV. 340, 19–27 = Breviar. Rom. ad diem VIII. Iulii lect. VI respons.: Regnum

mundi et omnem ornatum saeculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi: Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. — 19–22 = II 6, 13–15: Ista est summa sapientia: per contemptum mundi tendere ad regna caelestia. — 21 — II 167, 26–29: Et quanto te plus ab omni creaturarum solacio subtraxeris: tanto in me suaviores et potentiores consolationes invenies. — 25–27 = I 315, 29–31: Deus meus es tu: in quem credidi quem amavi, quem quaesivi, quem semper optavi; Breviar. Rom. ad diem XXI. Ianuarii ad Magnificat, Antiphona: ... quem amavi, quem quaesivi, quem semper optavi. — 28—341, 3 = S II 768, 40. 41 ad verbum descripta sunt e Ps. 83, 11, item I 36, 11–13, nisi quod hic „Elegit" legitur, et „mei" omissum est. — 341, 5 8 = 363, 13 -15 et Iob 7, 15. — 7. 8 = Phil. 3, 8; I 13, 24. 25; II 11, 14. 15; II 306, 8–10. —

LVI. 341, 11 13 = Is. 66, 2. — 15. 16 cfr. ad 284, 27. 28. — 25- 28 = 337, 15–17. — 27. 28 = 283, 5; 342, 13. — 342, 3. 8 = 342, 21. — Duorum capitulorum Epistulae ad quendam a ministerio suo absolutum (Vol. IIII 401—445) uno commendatur solitudo, altero silentium. —

LVII. 342, 12. 13 = VI 350, 14: solitarius turtur. — 14 cfr. ad 309, 3. — 21 = 342, 3. 8. — 343, 2 = I 196, 11. 12: secretum tuum tibi. — 7 = 344, 26; 345, 8; 346, 2; I 200, 19: vermicule; II 148, 6: vermiculus; V 5, 15: vermiculum; V 43, 28

et V 95, 20: vermiculis. — 8 cfr. ad 262, 18. — 17 = 397, 2.

LVIII. 343, 22–24 = 361, 22. 23. 25. — 25 = 331, 4; 361, 24. — 26 = 292, 11; III 90, 16 et V 177, 19: plasmasti; III 110, 17: plasmaverunt; V 113, 5: plasmator. — 344, 10 = 284, 7; 345, 7. — 15–17. 20–22 = 334, 1–3. —

LIX. Quae in capitulo XIII De imitatione Christi libri IIII ab anima devota Christi unionem in Sacramento adfectante effunduntur, eorum magna pars iisdem vel similibus verbis in hoc cantico redditur, ad quae cum in aliis Thomae scriptis tum in cantico XLII multa adiunguntur. En delecta: 344, 26 = II 127, 2: dilectus meus electus ex milibus; cfr. ad 343, 7. — 27 = 331, 13. 14. — 28. 29 et 345, 1 = 345, 25. 26; II 126, 5–7: ita ut iam ultra non in te: sed in me absque omni sollicitudine vivas; II 126, 28: Tu in me et ego in te: et sic nos pariter in unum manere concede; II 128, 4. 5: Dignare Domine manere mecum. — 345, 2 = II 126, 15: fruar te. — 3 = II 127, 24. 25: o admirabilis dignatio; 270, 28; V 69, 18: inani homunculo. — 5 = II 127, 12. 13: pane suavissimo de caelo descendente illos reficere dignaris. — 7 cfr. ad 284, 7. — 8 = II 148, 5. 6: pauperrimus servulus tuus et abiectus vermiculus. — 10 = 256, 22–25; I 236, 27. 28: anima tibi intime unita; II 126, 19–27: sicut solet dilectus ad dilectum loqui, ... Hoc oro hoc desidero, ut tibi totus uniar, ... Ah Domine Deus, quando ero tecum totus unitus et absorptus; II 128, 1. 2. 6. 7: unita Deo anima mea ... ut cor meum tibi sit

unitum; II 323, 21. 22: Nam tanto quis Deo unitur . . .; V 186, 27. 28: Tene te abstractum mundo, unitum Deo; V 198, 20–22: . . . ad cor dilecti tui, ut possis interiora penetrare filii Dei et in vera cordis unione sibi uniri; V 200, 12. 13: ut tibi uniatur cor meum insolubili caritatis vinculo. — 12–15 = 331, 26–29; II 172, 16. 18: fiat hoc vel illud sicut volueris. . . . Fac mecum sicut scis. —

LX. 345, 17. 18 = II 189, 3. 4 et II 231, 29. 30: Deus meus ne elongeris a me. — 25. 26 = 344, 28. 29. — 27. 28 = 331, 12–14. — 346, 2 cfr. ad 284, 7. — 3 cfr. ad 345, 2. — 9. 10 = 331, 17. 18. — 13 = V 29, 3. 4: tu supple pro me. — 17 cfr. ad 345, 12–15. —

LXI. 346, 22. 23 = II 152, 14. 15: Nihil dulcius est amore. — 24–27 = II 153, 10. 11. 15. 19: Deus meus amor meus. . . . Tenear amore. . . . Amem te plus quam me. — 347, 4–6 = I 249, 15–17: Tibi dicit cor meum; exquirit te facies mea: faciem tuam Domine iugiter requiram (Ps. 26, 8). — 9 = 110, 29. 30: quando replebis os meum laude perpetua (Ps. 70, 8). — 10 = II 153, 16. 17: Cantem amoris canticum. — 13 = II 173, 10. 11: Da mihi super omnia desiderata in te requiescere; II 183, 16–18: non potest cor meum veraciter requiescere nec totaliter contentari, nisi in te requiescat. — 14. 15 = II 135, 8–11: omnium devotorum cordium iubilationes, ardentes affectus, mentales excessus . . . tibi offero; II 208, 14. 15: ad inhaerendum tibi iubilosis excessibus. —

LXII. Idem, qui hoc cantico, „omnium consolationum terrenarum“ contemptus unionisque cum Deo animae desiderium plenius expressa sunt Soliloquii animae capitulo x Vol. I p. 232, 23—238, 11 ab iisdem Psalmi 76, 3. 4 verbis exordiente, quae iterata l. l. p. 200, 24. 25 leguntur. 347, 22 = I 233, 17: Renue consolari exterius. — 25. 26 = I 237, 11: pace et aequitate. — 26—348, 1 = I 237, 27. 28: O veritas, veritas: quantum valet et agit caritas. — 348, 5 = I 236, 29: sensibilibus. — 6 = 234, 2. 3: re vana. — 10 = I 232, 28: vanitates et insanias falsas. — 15 = I 235, 13: O si. — 18. 22 = I 237, 25: abundanti tua dulcedine. — 19 = I 238, 6: praesentia. — 21 = I 234, 22: gaude et laetare non modice. — 23. 24 = I 236, 27. 28: talis est anima tibi intime unita. — Quibus accedant eiusdem fontis vel eadem vocabula vel variantium formarum primitiva haec: aeterna, boni (bonum), Dei (Deum), dulcissima (dulce), fruibili (fruitione), gloria (gloriam), gaudii (gaudio), nimia (nimis), omnibus, plena (plenum), pauper, pax, placet (placuerit), quanta (quantae), Vere (verus), denique haec aliunde sumpta exempla: 348, 2 = I 215, 10. 11: satietas nullius boni est in praesenti. — 3 = II 161, 20. 21: voluerit gloriari. — 23. 24 = III 95 26. 27: quantum te illi in vita conformaveris; V 128, 2: sanctos Christo conformes effecit. —

LXIII. Relegenti mihi hoc canticum venit in mentem Soliloquii animae capituli XXIII quod est DE PROCESSV AD

SALVTANDVM VIRGINEM GLORIOSAM, cuius non solum singula vocabula, velut dicentes, gloriae, devote, Spiritus sancti, caelestis, pia hic obvia sunt, sed etiam I 321, 15. 16 = 349, 9. 10 haec: clementissima domina mea sancta Maria. Praeterea cfr. 275, 18: gloriosa civitas, III 359, 28 = 349, 11: precibus tuis. Neque silentio praeterierim locos librorum Thomae familiarium hos: 349, 3 = Sap. 7, 29: Est enim haec [sapientia] speciosior sole, 349, 3–5 = Cant. cantic. 6, 9: aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.

LXIIII. Hoc canticum quasi quaedam epitome est eorum, quae III p. 86—105 et V p. 12—28 de incarnatione et nativitate Christi leguntur suavissimis tenerrimisque devotionis et obsequii adfectibus a Thoma electa. En et horum et aliquot aliorum locorum consensiones: 349, 15 = III 99, 23: O dies laetitiae; III 95, 7: dies agitur laetitiae. — 16 = V 14, 5: ortu; V 17, 14: regali. — 17. 18 = III 86, 15. 16: de virginali utero egressus est; V 12, 21: virginali utero; 397, 17. — 19. 20 = III 89, 22. 23: O desiderabilis et nimis amabilis puer. — 22. 23 = 268, 7. 9. — 27 = III 97, 25: quis audivit umquam tale? — 28 = III 92, 8: Deus homo natus. — 350, 1. 6 = V 14, 17–20: O humilitas incomprehensibilis, quod Dominus omnium dominorum dignatus est fieri conservus servorum suorum; VI 265, 29—266, 2: O mirum super omne mirum; quod omnium sanctorum sanc-

tissimus et omnium dominorum altissimus fit omnium servorum suorum servus infimus. — 7 = 351, 21. 22. — 8 = V 14, 6: ex illibata virgine Maria; III 86, 19. 20: O supra naturam fecunditas; quam ornavit virginea puritas. — 10 = V 17, 26: stupenda dignatio; V 14, 26: O nativitas supra naturam. — 12 = III 97, 10: qui ante saecula erat. — 13 = III 92, 5: Creatorem mundi. — 17–19 = V 14, 1 3: in sordenti stabulo nasci et . . . collocari. — 23 = I 29, 31: de caelo descendit; V 17, 7: de caelo descendisti. — 24 = V 17, 23: vagitibus. — 25 = V 18, 2: qui tonat in nubibus. — 30 = V 28, 7. 8: virgo sancta in partu et post partum. — 351, 1 = 352, 15; 353, 18. — 4–6 = V 17, 28: sugit ubera; V 19, 4: sugit ubera carnis et lacte alitur virginis; V 18, 26: lactatione ex uberibus virginis; V 20, 9. 10: in tam tenera aetate. — 7–11 = III 105, 3–6: Venientibus autem pastoribus . . . cum gaudio eis aperiam: . . . Ipsi sunt enim quibus angelus istud mysterium nuntiavit. — 12–14 = III 88, 2. 3. 9. 10: Invenietis ait infantem pannis involutum: et positum in praesepio . . . in praesepio iacentem; V 14, 15–17: videre Deum puerum natum, pannis vilibus involutum et in arto praesepio ante animalia positum; III 96, 27: Dominus angelorum; V 19, 13. 14: Dominus adoraris angelorum. —

LXV. 351, 21. 22 = 350, 7. 8. — 23. 24 = V 16, 13: nec quaesisti grandia palatia pro regia dignitate. — 25. 26 = V 14, 7. 8:

humili reclinatione in tam parvo et vili praesepio. — 352, 1. 2 vide ad 327, 20. 21; V 16, 17. 18: vix pannos habuisti ad induendum. — 3. 4 = 358, 25; V 14, 15: pannis vilibus; III 92, 8. 9: iacet ligatus. — 6 = 256, 15; V 16, 5: pauperis Iesu. — 15 = 351, 1; 353, 18. — 19–21 = III 94, 3: Mariae pia obsequia. — 27—353, 6 = 358, 26; III 93, 7. 8: Ioseph ministrantem, et angelicam turbam concinentem; V 15, 29–31: Fac me cum angelis et tota militia caelesti gratias ac laudes devota tibi mente canere; V 17 27. 28: quem laudant angeli in caelis. —

LXVI. 353, 8. 9 = 386, 10. 11; 387, 3. 4. — 18 = 351, 1; 352, 15. — 19 cfr. ad 351, 4–6. — 23–27 = 258, 28; 257, 26—258, 3. —

LXVII. 354, 12 = 317, 19; 355, 18. — 14 cfr. ad 273, 3. — 355, 6 = 358, 23. — 8 cfr. ad 325, 26. — 12 = 317, 19; 355, 18. —

LXVIII. 355, 13 = V 19, 27: salvator mundi. — 14. 15 = V 14, 16. 17: in arto praesepio ante animalia positum. — 18 cfr. ad 354, 12. — 22 cfr. ad 352, 3. 4. — 23 = V 16, 11: Cum enim natus esses in orbe Deus. — 26 = V 20, 1. 2: circumcisione secundum Mosaicae legis... — 27–29 = V 21, 13–15: salutiferi adorandique nominis tui impositione, quod vocatum est Iesus. — 356, 1. 2 = V 27, 2: stella duce tres reges; V 24, 25: properarent. — 6–8 = V 25, 9 11. 15: obtulerunt aurum..., tus..., murram..., suscipe oblationem mysticam. — 13 = V 35, 17: dignatus es baptizari. — 14—16 = V 36, 5. 6: summae Trinitatis praesentia manifeste ostensa; 397, 20–23. — 17–20 =

V 27, 4 6: Hodie ex aqua vinum fecisti ad nuptias et in his omnibus te Deum et hominem evidenter declarasti. — 21–24 = V 29, 28–30: in templo praesentatus fuisti et a iusto ac timorato viro Simeone in ulnis caritatis cum gaudio susceptus. — 25 = VI 325, 18: duodennis; III 122, 9: perditus. — 26. 27 = III 124, 8. 9: Intravit templum ad audiendum magistros et doctores. —

LXIX. 357, 8. 13. 18. 23. 28 = 276, 6. — 9 = III 87, 28. 29: Annuntio inquit vobis gaudium magnum. — 10 et 16 = 355, 18. 19; 316, 28. — 11 = III 96, 14 16: Considera itaque in eo non solum magna et sublimia, sed etiam parva et humilia. . . . — 14. 18. 28 = 318, 19. 20. — 20 = 316, 27—317, 1; III 88, 8. 9: transivimus usque Bethleem; III 87, 25: pastores: dicite mihi . . . —

LXX. 358, 8 = 316, 16. 17. — 16. 17 = 351, 7–9. — 20 = 394, 9. — 23 = 355, 6. — 24. 25 cfr. ad 352, 3. 4. — 26–28 = 352, 27. 28; 318, 6; 323, 23; III 93, 7: Ioseph ministrantem. — 359, 7–9 = V 14, 17–20: O humilitas incomprehensibilis, quod Dominus omnium dominorum dignatus est fieri conservus servorum suorum. —

LXXI. Agitur hoc cantico de mysterio incarnationis, de quo V 19, 7 14 leguntur haec: „O magnum tremendumque mysterium, cum unus idemque praedicaris de Deo patre Deus et de matre virgine homo verus, unus idemque filius crederis feminae et unicus paternae gloriae, unus idemque particeps factus hominum et Dominus adoraris angelorum“ et III 93,

22–24 haec: „Coniuncti sunt hic Deus et homo, mater et virgo: senex et puer.“ 359, 18. 19 = III 108, 23. 24. 27 -31: Formam pulcherrimi pueri assumpsisti, naturam humanam induendo.... Sed ego rudis talem substantiam omnem formam excedentem capere non valui: ideo condescendendo mihi naturam meam tibi unisti, notam proponens hominis formam. — 19 — 363, 22; I 253, 24–27: Si stupes dignationem unionis huius; obstupesce et admirare excellentiam bonitatis eius: nec non et assumptae humanitatis singularem unionem[1]. — 21 = III 360, 6: Gabrielis. — 23. 24 = III 362, 15: virtus Altissimi obumbravit. — 26 = I 328, 28. 29: O virgo incomparabilis: omnibus amabilis et venerabilis. — 27 = III 356, 22. 23: virginem singulariter praeelectam; III 358, 4: inventa es humillima. —

LXXII. 360, 3 = 393, 13. — 5 = 354, 23. — 6 = 330, 1; VI 242, 20 (in margine): KATHARINA. —

LXXIII. In hoc cantico aeque atque in canticis XLI, XLIIII, LXXX, LXXXV, LXXXVII, LXXXIX et in plerisque Thomae operibus cum multi loci e Cantico canticorum sumpti sint, atque eadem vocabula tantum non omnia apud eum inveniantur, in uno „cosmi“ (= κόσμου) pro „mundi“ scripto aliquamdiu haesi. Verum enim vero similia Graeca in canticis ἅπαξ εἰρημένα neque apud Thomam sunt inaudita, velut 288, 15 sophia, 328, 15 monarcham, 359, 28 Stygis, neque apud alios, ut DREV.

[1] De 19, 23, 28 cfr. Adnot. criticam.

XX p. 168, nº. 216, 3, 1 Maria „oecus [i. e. οἶκος] verae pacis“ appellatur. 360, 18 = 155, 15; VI 175, 7: mundi pompis. —

LXXIIII. 361, 16. 18 = 385, 3; VI 242, 13 (in margine): BARBARA. —

LXXV. 361, 22–25 = 343, 22–24. — 24 = 331, 4; 343, 25. — 26 = V 175, 18. 19: (Pater) me misit. — 362, 1 = II 176, 20: obprobria benigne sustinui; cfr. ad 256, 15. — 2–5 = 256, 1–12. — 9 = III 174, 10. 11: videte si est dolor similis sicut dolor meus (Thren. 1, 12). — 13 = II 177, 13–16: O quantas tibi gratias teneor referre: quod viam rectam et bonam dignatus es mihi et cunctis fidelibus ad aeternum regnum tuum ostendere. — 18 20 = II 212, 3. 11. 12: RESIGNATIONE... resignaveris ... resignabo ...; II 176, 25–27: dignum est ut ego misellus peccator secundum voluntatem tuam patienter me sustineam. —

LXXVI. 362, 25 et 363, 10. 13. 14 = II 182, 12: anima mea; I 235, 14: anima sancta Deo dilecta; II 184, 12: usquequo. — 25. 26 = I 232, 27. 28: Noli evagari anima mea post vanitates et insanias falsas. — 27 = II 183, 10. 11: in quo cuncta bona simul et perfecte sunt. — 363, 7. 8 = II 183, 20. 21: O mi dilectissime sponse Iesu Christe amator. — 10–12 = 333, 19–22; I 327, 4. 5: Anima mea liquefacta est: ut locuta es o Maria. — 13 15 = 341, 5–8; II 11, 14. 15: Vere prudens est: qui omnia terrena arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat. — 19. 20 = I 201, 14. 15: Ego tacta amore eius intrinsecus, in tantum coepi ardere ... —

LXXVII. 363, 22 = VI 90, 16. 17: unionem cum Deo; cfr. II 126, 8—128, 7 et II 182, 8—185, 17. — 27 et 364, 1 = 302, 7. 8. —

LXXVIII. 364, 18 = III 20, 10. 11. 14: Porta haec clausa erit, et non aperietur: ... Maria quoque clausa porta. — Ceteroqui cfr. quae ad canticum XXXVI adnotavi. —

LXXIX. 365, 22 et 366, 22 = 272, 17. — 366, 1 = 298, 1. 2. — 8: consolatio cum casibus suis in libris De imitatione Christi centiens et semel occurrit. — 23 = 276, 16. — 26. 27 = 394, 10; I 326, 5: precibus sedulis. — 29. 30 = 265, 10. 11. — 367, 6 = 273, 21. — 8 = 273, 18; 398, 7; 300, 20. — Notatu dignum est, quod in Vol. II 116 et 117, ubi Thomas de temptationibus et fallaciis diaboli cavendis praemonet, et in cantico LXXIX de eadem re vocabula vel eadem vel synonyma leguntur haec:

CANTICVM LXXIX:	Vol. II:
p. 366, 15 Hostis	p. 116, 15 Inimicus, 22 satanae, 22. 23 nequam spiritus
17 nequitiis	24 nequitia
18 versutiis	p. 117, 2 versutiis
29 zabulumque[1]	p. 116, 14 diaboli
p. 367, 3 patiuntur	22 patiuntur

LXXX. Huius cantici et Soliloquii animae capituli 1, p. 194—202 idem argumentum est e Cantici canticorum capite V delibatum, hoc tamen discrimine

[1] zabulus = diabolus (διάβολος). De z pro di syllaba scripto cfr. W. Corssen, Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der Lateinischen Sprache, Leipzig, 1868, I p. 214 sqq., de o in u mutato ibid. (1870) II 141 sq.

interposito, ut in cantico scripturae sacrae vestigia artius premantur. Vtriusque exemplaris quae cum sententiarum tum vocabulorum communia manserunt, habeto haece: 367, 14 = I 198, 19. — 14. 15 = 194, 2. 3; 195, 20; 197, 30; 198, 2. 3. 16. — 16 = 198, 19. — 18. 19 = 201, 14. — 23 = 197, 5. — 28 = 197, 5. 9. — 368, 1 = 197, 10 et 201, 23. — 2 = 195, 16. 17. — 8 = 198, 3. — 25 = 195, 1. — 29 = 197, 4. —

LXXXI. Duae potissimum rationes sunt, quibus motus hoc canticum Thomae esse iudicaverim: Magnus numerus locorum e Cantici canticorum, cuius lectionem Thomas commendat Vol. IIII, 158, 1, capite II, petitorum et materia similis cum alibi tum capitulo XXI libri III De imitatione Christi tractata. Nec deest consensus vocabulorum: 369, 7 = I 270, 7. 8: PROTECTIONE DILECTI. — 11. 12 = I 173, 8. 9: Introduxit me rex in cellaria sua. — 17 = I 173, 26. 27: sicut ordinatum est tibi; I 174, 13: ordinavit. —

LXXXII. 370, 2 = III 277, 24. 25: DOMINICAE RESVRRECTIONIS. — 3 cfr. ad 349, 15. — 4 cfr. ad 349, 16. — 5 = III 278, 18. — 6 = V 221, 8: limbo inferni. — 13 = V 225, 25: valde mane; V 226, 5: tam mane. — 14–16 = V 232, 21. 22: cum Maria Magdalena et sodalibus eius. — 17. 18 = V 226, 3. 4: dominarum quaerentium iterum sanctissimum corpus tuum inungere; V 226, 9. 10: aromata, quae paraverant ad ungendum. — 19. 20 = V 230, 2. 3: si occurrerit vobis Iesus in via et dixerit: Avete sorores; V 231, 23:

ite, nuntiate fratribus meis; V 260, 21–23: euntes dicite discipulis eius et Petro, quia surrexit Iesus. — 20–22 = V 231, 23. 24: ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt. — 23–25 = V 260, 30–261, 3: (Petrus) audiens . . . cucurrit velociter cum Iohanne ad locum sepulturae; V 229, 11–13: O sancte Petre, . . . surge cito et veni, curre . . . intra monumentum. — 371, 3 = V 231, 3. 4: ad confortandos debiles animos in fide de tua resurrectione haesitantes. — 11 = V 234, 16: in caelestibus choris. — 12 14 = V 234, 12. 13: in laudem sanctae Trinitatis. —

LXXXIII. 371, 27 = 350, 5. — 372, 1 = 353, 24. — 5 cfr. ad 326, 7. — 8 cfr. ad 325, 26. — 22 = 372, 28. — Ceterum cfr. canticum LXXI. —

LXXXIIII. 372, 27 = III 356, 30. — 28 = 372, 22. — 373, 13 = II 99, 4: sordes peccatorum. — 20 = 312, 27. 28. —

LXXXV. 373, 24 = I 325, 14: reorum spes. —

LXXXVI. 374, 13 = III 356, 29. 30: O caeli regina. — 14 = III 365, 27: gloriosa; III 359, 8: gloriosissima. — 14. 15 = I 326, 10. 11: ne pereat iste mundus obtineo [Maria] meis precibus. — Non ita magnam vim tribuo ceteris vocabulis et in „Oratione ad beatam virginem Mariam, ut subveniat in hora mortis“ III 357–360 et in cantico LXXXVI occurrentibus his: „super omnes, mater, virgo, rosis, spes, taetris, gratiosa, portas“, sed hoc ex illa pendere arguunt cum 375, 9 11 comparata

haec: III 357, 23; 359, 17. 20: hora mortis, III 360, 20: Vale iam virgo Maria, III 358, 6: decora valde. —

LXXXVII. 375, 14. 15 = 330, 10. 11. — 16 = 330, 12. — 19 = 330, 17. — 20 = 326, 1; 364, 27 (Iudic. 6, 37). — 24 = 330, 26. — 29 = 330, 23. 24. —

LXXXVIII. 376, 2 cfr. ad 325, 28. — 7. 8 = III 356, 9; VI 254, 28. —

LXXXIX. 376, 15 = 373, 15. — 21 cfr. ad 376, 7. 8. — 22 = I 319, 1: Quae est ista quae ascendit de deserto. —

XC. Animi gaudium, iubilum, desiderium, tripudium, cetera, quae in simili genere versantur, iisdem ex parte vocabulis expressa sunt in eis, quae Vol. III p. 91 sqq. DE MANSIONE APVD VENERABILE CHRISTI PRAESEPE leguntur. 377, 4 = III 92, 7: angelorum gaudium et hominum. — 5 = III 97, 16: in praesepio. — 7 = III 97, 9. 10: in gremio matris. — 10. 11 = III 92, 17. 18: hic iubila: hic toto corde tripudia. — 12. 15. 17 = III 95, 8: parvulus Iesus; V 17, 2. 3: Iesu rex inclite, puer; 379, 11; III 103, 30: Iesu bone. — 18 = III 101, 27: Amor Iesu trahit cor meum ad praesepium; I 329, 4: trahe me post te. — 24 = III 93, 8: angelicam turbam concinentem. — 25 = 25, 19; 112, 6 9. —

XCI. 378, 17 = 181, 7: in hac vita miserrima. — 379, 11 = III 103, 30: Iesu bone. — 22 = II 248, 17. 18: gratia autem ad Deum cuncta reducit; II 162, 25: reduxisti me. —

XCII. 379, 24—380, 3 = V 83, 4–8: stetisti inclinato capite, defixis in terram oculis, placido vultu, paucis verbis, voce submissa, paratus ad opprobria et ad verbera promptus. —

